

XXI.

VITA SANCTI REMIGII

RHEMORUM ARCHIEPISCOPI,

Scripta ab HINCMARO, æque Rhemensi archiepiscopo.

(Apud Surium, Acta Sanctorum, 15 Januarii.)

Hincmarus, nomine non merito episcopus, ac plebis Dei famulus, dilectis fratribus ac comministis nostris, hujus sanctæ Rhemensis Ecclesiæ filiis.

Sicut a senibus, et jam ætatis provecæ viris religiosis, qui de tempore Tilpini urbis hujus præsulis adhuc vivebant, quando in servitium istius sanctæ Ecclesiæ, auctore Deo, fuit electus atque provecus, et postea per aliquot annos vixerunt, fideli relatione didici, a suis majoribus audierunt narrari, eos vidisse librum maximæ quantitatis, manu antiquaria scriptum, de ortu et vita ac virtutibus atque obitu beati Remigii, sanctissimi patroni nostri. Qui hac occasione deperiit: quoniam Ægidius, post beatum Remigium quartus istius civitatis episcopus, quemdam virum religiosum, Fortunatum nomine, metricis versibus insignem, qui a multis potentibus et honorabilibus viris, in his Gallicis et Belgicis regionibus per diversa loca tunc vitæ ac scientiæ suæ merito invertebatur, petiit de eodem libro, cothurno Gallicano dictato, aperto sermone aliqua miracula, quæ in populo recitarentur, excipere: quatenus ea sine tædio audire et mente recondere atque per ea ad amorem et honorem atque devotionem Dei et ipsius protectoris sui, idem populus excitari valeret, Quod et in eadem excerptione lector potest advertere, ubi scriptum est: Studeamus pauca disserere, plurima præterire. Et cum ipsa excerptio cœpit lectione in populo frequentari, et a multis propter brevitate suæ facilitatem transcribi, ipse magnus codex a negligentibus negligentius cœpit haberi: usque dum Caroli * principis tempore, quando propter discordiam et contentionem de principatu inter eum et Raganfridum, et frequentia ac civilia, imo plusquam civilia, quia intestina et parricidalia, bella in Germanicis et Belgicis ac Gallicis provinciis religio Christianitatis pene fuit abolita: ita ut episcopis in paucis locis residuis, episcopia laicis donaia, et per eos rebus divisa exstiterint: adeo ut Milo quidam, tonsura clericus, moribus, habitu et actu irreligiosus laicus, episcopia Rhemorum ac Trevirorum usurpans insimul, per quadraginta circiter annos pessumdederit. Cujus infelici tempore, de ista Rhemensi ecclesia non solum pretiosa quæque ablata fuerunt, sed et ecclesiæ atque domus religiosorum destructæ et res ab episcopo

fuere divisæ. Illi quoque pauci, qui erant residui, clerici negotio victum quærebant, et denarios, quos mercimonio conquirebant, in chartis et librorum foliis interdum ligabant. Sicque præfatur liber cum aliis partim stillicidio putrefactus, partim a soricibus corrosus, partim foliorum abscissione divisus, in tantum deperiit, ut pauca et dispersa inde folia reperta fuerint. Cum vero tempore Pippini regis, prædicti Caroli principis filii, revelatione ostensa Eucharistia, Aurelianensis civitatis episcopo, de damnatione æterna ejusdem Caroli, qui res ecclesiarum diviserat, fuit: idem Pippinus, sicut et aliarum ecclesiarum episcopis, huic Rhemensi episcopo partem de rebus ecclesiasticis reddidit, et Tilpinum in hac urbe Rhemorum episcopum ordinari consensit. Hoc enim in hac ecclesia Rhemensi novissimo sæculi tempore de libro memorato, sed et aliis accidit, quod antiquo tempore de authenticis Scripturis evenisse sanctus Joannes Chrysostomus in Homilia 9 Evangelii secundum Matthæum memorat, dicens: Multa enim ex prophetis perire monumentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cum essent Judæi, nec desides modo, sed et impii, alia quidem perdidit negliger, alia vero tum incenderunt, tum conciderunt profane. Et de profanitate quidem tali Jeremias refert. (*Jer. xxxvi*). De negligentia vero in quarto Regum libro legimus (*IV Reg. xxii*), quomodo post multum temporis vix Deuteronomii sit volumen repertum, defossum quodam in loco ac pene deletum. Sed et plura de Scripturis in his, quæ habemus, memorata legimus, quæ non habemus: sicut et liber Justorum, qui commemoratur in libris Regum (*II Reg. i*); et sicut est liber Bellorum Domini, cujus in libro Numerorum mentio est (*Num. xx*). Neque carmina Salomonis, neque disputationes ejus sapientissimas de lignorum natura herbarumque omnium, itemque jumentorum et volucrum, reptilium et piscium (*III Reg. iv*): vel quod in libro Verba dierum dicitur: *Reliqua vero operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahix Silonitis, in visione quoque Addo videntis, contra Jeroboam filium Nabath* (*II Par. ix*), et multa hujusmodi volumina, quæ scripta quidem fuisse probatur, sed hodie constat

* Carolum Martellum dicit.

non esse. Vastata namque a Chaldæis Judæa, ut in Patrum litteris legimus, etiam bibliotheca, antiquitus congregata, inter alias provinciæ opes hostili est igne coasumpta : ex qua pauci, qui nunc in sacra Scriptura continentur, libri postmodum Esdræ pontificis et prophætæ sunt industria restaurati. Unde scriptum est de eo : *Ascendit Esdras de Babylone, et ipse scriba velox in lege Moysi (I Esd. vii)*. Velox videlicet, quia promptiores litterarum figuras, quam eatenus Hebræi habebant, repererit. Et in epistola regis Persarum : *Artaxerxes rex regum Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cæli doctissimo, salutem (ibid.)*.

Quo contra et nos, multis aliis perditis, plura in quibusdam historiis et diversis pitaciolis, ac usitata relatione a præcedentibus relicta posteris, de ortu et vita, seu virtutibus et obitu domini et sanctissimi patris ac protectoris nostri Remigii habemus, quæ in memorata excerptione non continentur. Unde bonis vestris desideriis placuit, ut illa mea servitus ad ignorantium et subsequentium notitiam in unum colligeret. Quod et jam diu fecissem, nisi me spes vana deluderet, quibusdam dicentibus, quia in illo, et in illo loco magnum librum de virtutibus, et vita ipsius domini et patroni nostri reperire valerem. Ad quæ mittens, quæ mihi promissa fuerunt, penitus falsa inveni. Nunc autem, opitulante Domino, qui in se confidenti, et opera sua, qui *mirabilis est et gloriosus in sanctis suis (Psal. lxxvii)*, volenti loqui promittit : *Aperi, inquit, os tuum, et ego adimplebo illud (Psal. lxxx)*; meritis ipsius Francorum apostoli et patroni, vestrique adjutus orationibus, aggreddiar quæ diu distuli, a progenitoribus et ortu ejus incipiens, et sic tam ea, quæ in historiis a majoribus editis, de illo inveni, quam et illa, quæ in diversis schedulis dispersa reperi : verum et illa in series digerens, quæ vulgata relatione percipi : quia haud longe ante nos dictum est, et etiam in sanctis Scripturis, sed et in evangelica veritate comperitur : vera est lex historiæ, simpliciter ea, quæ, fama vulgante, colliguntur, ad instructionem posteritatis litteris commendare. In quibus omnibus lectorem diversitas styli nen perturbet, quoniam ea, quæ de historiis majorum assumam, et ea, quæ in antiquis schedulis reperiam, ita ut inventa fuerint, ponam.

Illam vero, quæ ex antiquis vulgata relatione percipi, et quæ ad instructionem legentium vel audientium addam, vel eorum verba, de quorum dictis mutabor, ponere procurabo, vel meo sermone dictare : volens quiddam debiti mei obsequii in laude, qua non indiget, offerendo, ipsi benefactori meo retribuere pro omnibus quæ indigno mihi gratis potius tribuit, quam meritis ullis retribuit. Denique in descriptionibus virtutum ejus ordinem, quo per illum eas Dominus dignatus est operari, servare non poterò : sed sicut eas vel scripto vel auditu accepi, describam. Sic enim, salvo altiore prophetiæ inspirationis munere divino allatæ mysterio, et psalmos

sanctus Hieronymus dicit in ordine digestos, non sicut fuerunt editi, sed sicut ab Esdra diversis temporibus fuerunt inventi. Verumtamen prout notitiam temporum invenero, vel ordini gesta congruere videro, ea digerere procurabo. In his autem quæ descriptis virtutum miraculis a Domino per beatissimum patronum nostrum operata sunt, ad exhortationem legentium sive audientium, pro modulo intellectus mei, de catholicorum dictis subjungere studebo : vestigia beati Gregorii, licet non valeam, prosequi moliar. Qui describens sanctorum actus, pravorumque casus, exhortatione inde assumpta, secundum sapientiam sibi a Deo datam, multa necessaria et utilia legentibus ac audientibus interposuit. Verum et non ab re agere a quoquam videri puto, si ea, quæ de ortu et actu atque obitu domini et patroni ac protectoris nostri in schedulis vetustate prope delitis inventa sunt reparo, et de abditis ad lucem reduco : et ea, quæ veterum certe relatione cognovi, litteris commendare procuro : cum sicut præmisi, sancti Esdræ pontificis studio, sacras Scripturas, desidia et profanitate impiorum Judæorum abolitas, noscamus fuisse restauratas, et non solum evangelicam et apostolicam historiam ab evangelistis sacratissime conditam, sed et plurimorum sanctorum gesta plurimos Ecclesiæ magistros, ad instructionem multorum, et etiam historiographos agones secularium, ad posterorum memoriam descripsisse; gentiles quoque poetas sua fragmenta grandisonis pompare modis studuisse legamus.

1. Post vindictam scelerum, quæ facta est a Domino cæde Galliarum, prosequente Wandalorum crudelitate, misericordiam cæli distillarunt : cum ad mitigandam, gentis Francorum barbarica ferocitate superventuram, divinæ animadversionis propter iniquitates perseverantes ultionem, mundo præsulem a Deo prædestinatum, Remigium pontificem hoc ordine protulerunt.

II. Erat quidam venerabilis, ac dignus professione et nomine, Montanus monachus, in reclusionem solitariam vitam ducens, jejuniis, vigiliis, atque orationibus continue vacans, necnon cæterarum virtutum insignibus adeo divinitati se commendabilem reddens, ut angelicis sæpe fruere alloquiis, et frequenter cælestibus visionibus ac revelationibus interesset. Is^a ergo cum pervigil in oratione pro pace sanctæ Ecclesiæ, quæ multis ac diversis afflictionibus apud Galliarum et Belgicarum provincias vexabatur, Dei omnipotentis clementiam indefessis precibus exoraret, nocte quadam plus solito orationem protelans, usque lucis crepusculum in contemplatione permansit. Qui cum, lassitudine ac fragilitate carnis compellente, paululum membra sopori dedisset, subito per divinam gratiam angelorum choris et animarum cælestibus, beatissimorum hominum jam cum Deo regnantium, et immortalitatem adhuc corporum expectantium, spiritibus interfuit, et fami-

^a Vide Flodoard. cap. 10, lib. 1, histor. Rhemens.

Harissimum cœpit audire colloquium. Inter cœtera igitur, quæ in conventu illo cœlico audivit, etiam illi sancti spiritus, humanæ salutis avidi, quæritari cœperunt de Gallicanæ dejectione Ecclesiæ, et quid facto ad talia opus esset, crebro versare sermone, dicentes, quia tempus esset miserendi ejus. Duplicia enim receperat pro omnibus peccatis suis, quamquam fœx ejus non sit exinanita. His ita inter se conferentibus subito vox adfuit, a superioribus atque secretioribus aditis saluberrime atque suavissime intonans, quæ et præsentium solaretur spirituum mœstitiam, et quod futurum erat, gratulabunda promulgaret sententia, ita dicendo: *Dominus prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit; ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum, ut annuntietur nomen ejus in gentibus, in conveniendo populos in unum, et reges ut serviant ei* (Psal. ci). Cilinia in utero concipiens, filium pariet nomine Remigium, cui a me salvandus populus committetur. Beata siquidem Cilinia, intenta piis operibus, licet corpore teneretur in mundo, mente conversabatur in cœlo. Quæ in flore juventutis pepererat de unico viro suo Emilio Principium, Suessionum civitatis postea sanctum episcopum, et fratrem ejus, patrem beati Lupi episcopi ejusdem Principii successoris, qui usque ad ultima gloriosi Remigii tempora sacerdotio est functus, sicque defunctus.

III. Vir * autem ille venerabilis, inter illius temporis innumera pericula tanta consolatione accepta, Ciliniæ divinum oraculum, gratia Dei perceptum, innotuit. At illa dixit ad Montanum: Quomodo fieri potest, ut anus lactem filium, cum mihi a temporibus diu transactis muliebria defecerint, et vir meus Æmilius vetulus sit, ac in ævoso ejus corpore frigidus exstet circum præcordia sanguis, et voluptatis opera in eo penitus emarcuerint? erant enim ambo genere nobiles, et gratia inter suos nominatissimi. Et quia liberorum parentes processerant in diebus multis, effeti, et carne jam infecundi, conjugale commercium non quærebant, nec eis spes ultra vel appetitus generandi sobolem inerat. Cui beatus Montanus respondit: Scias, quia cum ablactaveris puerum Remigium, de lacte tuo perunges oculos meos, et recipiam lumen. Nam ut merita illi accrescerent, sicut et sancto Tobie (Tob. ii), juxta divinum sermonem, Ut justus justificetur adhuc (Apoc. xxii), idem beatus Montanus lumen corporalium oculorum amiserat. Tandem credentibus parentibus verbis viri Dei, sit gaudium, quod talem suscepturi essent prolem, in cujus conceptione non foret ardor explendi libidinis, sed amor generandæ juxta divinum præsagium sobolis. Concipitur ergo futurus Christi pontifex, et Christi adminiculante misericordia, mater beatissima quem, auspice Deo, concepit, feliciter filium genuit, cui Remigii, secundum Domini dictum, in baptismo nomen imponi fecit. Et ablacta-

tus, sicut suus prænuntiator prædixerat, lacte matris oculos sui vatis, matre obstetricante, perungens, lumen illi gratia divina restituit. Nec incredibile videri debet, si puer iste, antequam per ætatem corporis sciret vocare patrem et matrem suam, virtutes munere divino operatus est; qui etsi ut homo in iniquitatibus conceptus est, contra morem tamen humanæ conditionis, non in delictis eum prævaricationis, sed in gratia remissionis, mater sua peperit. Neque enim dubitandum est, quia Spiritus sanctus, qui eum talem futurum prædixit, et cujus munere conceptus fuit, etiam a peccatis absolvit. Constat quippe veridica Patrum sententia, quia lege non constringitur Spiritus sancti donum. Et propterea qui Cornelium ac domum ejus ante perceptionem baptismi sua gratia consecravit (Act. x), ipse utique beatum Remigium, non solum ante baptismum, sed etiam ante nativitatem ejusdem gratiæ munere perfudit. Ortus est autem ex anu et vetulo diu sterilibus per repromissionem, ut Isaac (Gen. xvii) et Joannes (Luc. i), vir iste sanctus, antequam natus, nomine designatus, antequam mundo cognitus, in pago Laudunensi, alto parentum sanguine, ut monstraretur in ortu, qualis futurus erat in actu.

IV. Singularis autem meriti indicium datur, quoties hominibus a Deo vel imponitur nomen, vel mutatur. Sic Abram, quia pater multarum gentium erat futurus, Abraham est vocatus (Gen. xvii). Sic Jacob, quia Deum vidit, Israel appellari meruit (Gen. xxxii). Sic Josias rex, ob eximiæ virtutis culmen, nominatus a Deo est multo antequam natus (III Reg. xiii). Sic Joannes, eo quod divina sibi gratia adminiculante, plus esse meruit quam propheta, et quod nemo inter natos mulierum major illo surrexit (Luc. i, Matth. v): et Petrus a firmitate et stabilitate petræ sumpsit cognomen (Matth. xvi). Et qui ante Saulus, postea nominatus est Paulus (Act. xiii), quoniam legis zelo contra Christum erectus, ab eo, quem in membris suis persequabatur, de cœlo in terram prostratus, apud se factus est Paulus, id est parvus, modicus et humilis: demum gratiæ Dei magnus defensor, et vas electionis effectus, atque totius est Ecclesiæ magister et prædicator egregius (Act. ix). Et filii Zebedæi, eo quod verbum Dei terribiliter mundo peccanti intonuerunt, filiorum tonitruum assumpserunt cognomen (Marc. iii). Et Dominus ac Redemptor noster Jesus, id est Salvator, est cognominatus antequam carne natus, eo quod salvum facturus esset populum suum a peccatis eorum (Matth., i). Ita ergo et beatus Remigius ab eo quod Ecclesiam sibi credendam inter fluctivagos mundi recturus esset anfractus, Remigii cognomen a Deo assecutus est. Servorum namquam Dei proprium est, a Deo nominatim sciri. Unde uni eorum dicitur: *Novi te ex nomine* (Exod. xxxiii); et beato Jeremiæ, ad verbi divini prædicationem ituro, dicitur: *Priusquam te formarem in utero, novi te, et in ventre ma-*

* Vide Flodoard, ibid.

tris tuæ sanctificavi te (Jer. 1). Jeremias enim ab idolorum cultu populum revocaturus, in ventre sanctificatur : Joannes populum suo illuminaturus alloquio, in utero materno prophetiam suscepit gratiam (Luc. 1); et beatus Remigius gentem Francorum a tenebris ignorantiae ad lucem perducturus Evangelii, itidem divina donatus est gratia, ut quod perfecturus erat ministerio, cum participibus suis pari claresceret munere, et qui, ut dictum est, Ecclesiam Dei, speciali autem cura Rhemorum civitatem atque provinciam, remigio alarum sanctarum, scilicet verbo et exemplo, meritis et orationibus, erat Dei prædestinatione rector, et perfecto certamine spiritu caelestia regna petiturus, angelorum utique subvectus auxilio, Remigius est jure Dei præceptione vocatus.

V. Nec illud silendum est, quia in chartis recenti tempore post illius obitum, sed et post plura annorum curricula factis, de rebus Rhemensi Ecclesiae traditis, Remedium fuisse nominatum legimus. Quod qui merita et acta illius attendit, congrue hoc cum nomine appellatum fuisse intelligit. Qui mitigator furoris Domini, in tempore iracundiae factus est reconciliatio, et magnificatus a Domino in conspectu regum, in verbis suis, sicut in sequentibus ostendimus, monstra, videlicet paganos feroces, placavit. Merito igitur eum Remedium fuisse nominatum in baptisate crederemus, nisi in emendationibus gestis illum oraculo divino per sanctum Montanum Remigium vocari debere cognosceremus. Sed et in versibus metricis ab ipso compositis, et iussione illius in quodam vase ab eo consecrato sculptis, ita legimus :

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Injuncto æternus quem fudit vulnere Christus.
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Quod vas usque ad nostra tempora perduravit, donec fustum, in redemptionem datum est Christianorum, ut a ministris diaboli Nortmannis redimeret pretium argentei calicis, quos de potestate tenebrarum redemerat effusus sanguis calicis, Christi videlicet passionis.

VI. Traditus autem a parentibus scholæ litteris imbuendus, in brevi coevis, et etiam natu majoribus suis doctrina excellentior est effectus. Studebat quoque teneros annos morum maturitate vincere, et benevolentiam cordis charitatis melle condire, turbas frequentiorum populorum vitare, et ut præconem suum fecisse didicerat, vita solitaria in reclusionem Domino servire : qui locus in castro Lauduno hactenus designatur, et venerabiliter colitur. In qua reclusionem secundis successibus certatim sanctae conversationis studiis justus adolescens Domino militavit. Et cum ad viginti et duos ætatis suae annos pervenit, defuncto Gennadio [al., Benagio. Dar.

* Quod ad ætatem pertinet S. Remigii accidisse interdum cognoscitur, ut ob eminentissimam virtutem atque scientiam alicujus (quemadmodum in S. Joanne Chrysostomo accidisse videmus, qui nisi

A Gennadio legit) archiepiscopo in hac urbe Rhemensi, omnium generaliter votis ad pontificii culmen raptus fuisse dignoscitur potius quam electus. Fit ergo concursus populi, diversi quidem sexus, conditionis ac dignitatis, necnon et ætatis; sed unius atque ejusdem sententiae cuncti hunc vere Deo dignum, et qui populis præfici deberet, acclamabant. Vir autem * beatissimus his augustiis depressus, nimis afficiebatur angoribus : quia nec fugæ locus usque patebat, nec populo, ut ab intentione cœpta resipisceret, ullomodo satisfacere poterat. Divinae namque erat voluntatis, ut qui omnium saluti prospecturus erat, omnium acclamationibus eligeretur; et qui unitati fidei cum jam fidelibus, et futuris fidelibus erat provisurus, unione cuncti populi ad sedem eveheretur sacerdotalis honoris. Sanctissimus quidem vir, cum his acclamationibus se urgeri conspiceret, de infirmitatis et ætatis suae tempore conqueri cœpit, et quia ecclesiasticus ordo infirmam ætatem ad hanc non reciperet dignitatem voce publica fatebatur. Timebat enim, ne immatura ætas inimici versutiis impugnata, aliquid contraheret sinistri. Sed divina gratia, et vocem populorum constantissime in ipsius perdurare fecit electione, et sanctum virum ab antiqui hostis protexit malignitate. Et cum populi acclamaret frequentia, et sanctissimus vir magna reniteretur constantia, placuit omnipotenti Deo ei manifestissimis monstrare iudiciis, quod ipse de eo haberet iudicium.

C VII. Etenim cum modo prædicto reniti conaretur, videntibus cunctis qui aderant, descendit subito radius novi luminis super ipsius viri sancti verticem, ac si ipse sol de cælo motus super eum ceciderit : et quia illuminandarum lux parabatur animarum, ipse quoque, cum ad hoc opus ascisceretur, lumine debuit declarari visibili. Ipse namque erat lucerna, quæ non sub modio curæ corporeæ, sed super candelabrum purissimæ ac Dei dilectæ conversationis erat ponenda, quatenus his, qui in domo sanctæ Ecclesiae futuri erant, lumen optimæ institutionis præberet.

D VIII. Placuit etiam omnipotentiae divinæ huic miraculo aliud addere, ad ostensionem meritum beatissimi viri. Etenim radio supradicto se illustrante, sensit capiti suo unguinis sacri infusum liquorem; quo totum ejus delibutum est caput. Et merito : ut qui oleum spirituale populis, quo eorum quidem capita visibili, mentes autem prædicatione, sancto Spiritu in se loquente, uncturus erat chrismate invisibili, id est gratia ejusdem Spiritus sancti, ipse quoque prius tali unctione insigniretur. Acceptis autem talibus ac tantis auspiciis, divinis timuit contraire statutis. Neque enim tutum illi videri poterat, tot signis præcurrentibus, divinæ contradicere jussioni, præsertim

fuga sibi consulere potuit, ne ejusdem ætatis episcopus ordinaretur) de minori ætate minime ratio habetur.

cum luce et unctione sancti Spiritus, quæ oleo visibili designatur, interius illustratus atque perunctus, ut et S. Isaias, admittendum se in divinum ministerium, debere se potius offerre quam excusare, didicerit.

IX. Posthabita ergo omni dubitatione, atque anticipati submota sententia, unanimitate episcoporum Rhemensis provinciæ, in fulis induitur sacerdotalibus benedictione consecratur episcopali; atque in sede præsulatus collocatur hujus civitatis Rhemorum. Ubi statim sic apparuit aptus et devotus, tanquam si officio, ad quod noviter ascenderat, jugiter præfuisset. Fuit itaque in eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in humanitate profusus, in doctrina præcipuus, in charitate perfectus, in sermone paratus, in conversatione sanctissimus. Sinceritatem mentis vultus sui serenitate monstrabat: et pietatem clementissimi cordis ostendebat in lenitate sermonis. Quidquid ad salutem posset pertinere æternam, non minus implebat beatissimum opus, quam sermonis prædicatione docebat. O virum per omnia Deo dignum! Eminebat in ipso habitu animi pulchritudo: in specie exterioris hominis, ipsam putares expressam imaginem sanctitatis. Erat irreverentibus terribilis aspectu, reverendus incessu, metuendus severitate, venerandus benignitate. Censuram auctoritatis temperabat mansuetudo humilitatis. Delinquentibus quidem minabatur frontis austeritas, sed blandiebatur cordis serenitas. Erga bene agentes, Petrus apparebat in vultu: erga delinquentes, Paulus in spiritu: ac si conveniente In uno diversitate gratiarum, illius pietatis, hujus erat æmulator districtioris: ita ut cum præsentiam ejus quisquam vix sustineret, absentiam fere non posset. Internorum autem honorum suorum formas ac species, sicut nemo ad plenum potuit inspicere, ita nemo sufficit explicare. Quas sicut ille studuit excolere, ita et laboravit oculere; et cum hæc vellet augeri, nolebat agnosci. Sed quia hoc est natura justitiæ, ut quanto studiosius abscondi optat, tanto clarius innotescat, et occultatio ipsa prædicatione sit: per populos tantorum bonorum fama volitabat. Eminebat in admiratione omnium, veluti civitas super verticem montis exposita, nec jam lucerna poterat latere sub modio. Gloriosa illa anima aperuit latentes in se divitias cælestium munerum, et de armario suave olentium virtutum, aromata sanctificationis, et gratiarum suarum supra omnem hanc Ecclesiam effudit. Neglector quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia. Sic in se excoluit diversas gratiarum virtutes, ut vix pauci tenerent singulas, quomodo ille implevit universas. Semper in operis exercitio, semper in compunctionis affectu, nulla illi ex omnibus propensior cura, nisi ut aut de Deo in lectione atque sermone, aut cum Deo in oratione loqueretur. Qui contrita continuis jejuniis ossa studebat de persecutore inimico, longo

triumphare martyro; pro cibo ac potu hoc secum incessanter ruminaus: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (Psal. xli). Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum (Psal. lxxxiii). Deficit in salutare tuum anima mea (Psal. cxviii). Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea (Psal. lxii). Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? (Psal. xli). Et consolando se dicebat: Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: Salutare vultus mei, et Deus meus (ibid.) Satiabor, dum manifestabitur gloriæ ejus (Psal. xvi).*

X. Nam quia specie sui Conditoris, ad quam anhelabat, necdum satiabatur, continuis suspiriis atque gemitibus, diurnis atque nocturnis lacrymis illum desiderans, pio luctu ad superna gaudia sublevata, fletuose anima sancta pascebat: et intus quidem doloris sui gemitum tolerabat, sed eo refectionis pabulum percipiebat, quo his vis amoris per lacrymas emanabat. Præter vitam avidè nihil esuriebat, præter justitiam nihil delectabiliter sitiebat. Præsentia tanquam inania atque transacta absente spiritu non videbat, et in futuro reposita quasi oculis subdita concupiscebat. Et fere vix terra, quæ talem genuit, ac de alumno nobis patronum, de homine angelum ac doctorem nobis emisit. Bene igitur et congruè, secundum Prophetam de illo dicamus: *In memoria æterna erit justus (Psal. lxxi).* Digne enim in memoria versatur hominum, qui ad gaudia transit angelorum. Qui ideo gratiam Dei glorificatus invenit, quia mundi gloriam, adjutus Dei gratia, non quæsit. Qui gubernaculum fidei viriliter tenens, anchoram spei tranquilla jam in statione composuit. Qui contra impetum diaboli, scutum Dei ita infatigabiliter tenuit, ut ad victoriam perveniret. Habemus in eo medicum e cælo, cum quo sanctitas, imo ipse sanctitatis auctor, civitatem nostram intravit. Quantis cæcis, a via veritatis errantibus, visum quo Christus videtur, aperuit? In quantorum auribus, sermonibus cælestium mandatorum, pretiosum, infudit auditum? Quantos intrinsecus vulneratos; angelici oris arte et orationis virtute curavit? Quantorum animas, peccatis jam in corpore defunctas, ad emendationem tanquam ad lucem vocando resuscitavit? Docebat quotidie filios suos, ne res alienas concupiscerent, ne eis conjuges extraneæ pulchræ essent, ne peccati venenum per aspectum animam penetraret. De quantorum cordibus ille, quos iniquitas et impietas possidebat, fugavit luxuriam, removit iram, restrinxit invidiam, revocando illuc fidem et castitatem, atque misericordiam? Quantos virille apostolicus pœnitentiæ medicamentis a peccatorum morte resuscitavit, custos animarum, cupiditates resecans, iram comprimens, malitias extirpans? His magis virille temporibus necessarius fuerat, quibus tanta iniquitas sumptis quotidie, deficiente justitia, viribus convalescit. Et quidem

ille in hac perigrinatione sæculi solo corpore constitutus, cogitatione tamen in illa æterna patria conversatus est. Qui huic mundo crucifixus ac mortuus, quidquid laboravit, de hac vita, ad illam transtulit, et de sinistra semper transmisit ad dexteram, atque in cælo suos reposuit sudores. Et inter hæc omnia intendebat vir beatus jactantiam virtutum fugere in quo non poterat gratia excelsa latere: ideo ut non solum corda hominum, belluina feritate crudelia, ad mansuetudinem Christi domaret fidelis servus ejus, et prudens, sciens conservis ejus dare in tempore tritici mensuram, id est, pro captu audientium mensurate et opportune divini verbi pabula ministrare; verum etiam aves, ut innocentia et potestas primi Adæ, antequam peccaret, cui omnia irrationalis subjecta fuerunt, ut Scriptura demonstrat (*Gen. i, psalm. viii*), in isto sancto viro, per secundum Adam Dominum nostrum Jesum Christum, reformata intelligerentur.

XI. Cum enim inter domesticos suos contingebat illum secretius habere convivium, et delectaretur in hilaritate charorum, descendebant ad eum intrepidi passer, et in manu ejus mensæ reliquias colligebant. Discedebant alii saturi, accedebant alii saturandi. Sic mansuescebat feritas avium, in operatione virtutum. Delectatio namque illius talis erat in hilaritate charorum, sicut de beato Job legimus, quoniam non cadebat lux vultus ejus in terram (*Job. xxix*): quia nimirum in tanta gravitate vultum tenere consueverat, ut nunquam contemptibili lætitia resolveretur: sed quotiescunque hilariorem se præsentibus exhibebat, certa semper hoc causa utilitatis eorum faceret: Ita et hic sanctus, religiosa gravitate discretus in omnibus, non vanitatis jactantia hæc vel dissolutione agebat: sed ut Dei ostenderetur collata sibi gratia, et ad ejus amorem et fidem, qui mirabilis in sanctis suis, servos suos multis modis consolari, ac mirificare dignatur, suorum corda excitarentur, et illius servituti se propensius manciparent. Sed et non sine consideratione videtur prætereundum, cur iste sanctus in jucunditate charorum, amplius in mansuetudine, ac pastione passerum, quam aliarum avium delectabatur. Et ut primo dicamus simpliciter, solent homines alia aves domesticas habere in domibus suis, passer, autem, licet in tectis, sicut legimus, et videntes scimus, soleant habitare, humana gaudentes vicinitate, intra domos tamen suas domesticos habere non solent. Unde constat, quia si aves, quæ in domibus domesticas haberi solent, in manu pasceret, pro nullo haberetur miraculo, nec esset unde convivantibus jucundatio proveniret. In donum quoque secretiorem aliis avibus, quæ intra cubicula domestica haberi non solent, nisi passeribus, qui in tectis, humana vicinitate gaudentes, habitare solent, ad hanc servo Dei divinam collatam gratiam demonstrandam, facultas non erat conveniendi.

* Ita legendum videtur: nam dictio erat oblitterata.

XII. Sed si altius aliquid in hoc sancti Dei facto perscrutari volumus, intelligere possumus, quia nullæ aves tam sæpe in Scripturis commendantur, sicut passer, columba et turtur. Columba quippe et turtur, quæ gemitus pro cantu edere solent, quia luctus sanctorum in præsentis sæculo, et superna desideria per secretas orationum lacrymas et * cantus Ecclesiæ publicos designet. Passer vero avis corpore parva, sed maxima sagacitate sollicita, quæ nec facile laqueis irretitur, nec per ingluviem ventris escarum ambitione decipitur. Hæc propter infirmitatem suam, ne aut ipsa a suo insidiatore capiatur, aut fœtus ejus serpentinis devorentur insidiis, ad domorum fastigia celsa concurrat. Huic merito prudens et humilis quisque comparatur qui diaboli cæcalliditatis fraudes fugiens, vigiliis et orationibus ac pœnitentiæ lacrymis intra sanctæ Ecclesiæ septa se munire festinat. Redemptor etiam et Salvator noster se passere dignatus est designari, Psalmista teste qui dicit. *Etenim passer invenit sibi domum* (*Psal. lxxxiii*). Jam quippe passer domum sibi invenit, quia æterni cæli habitaculum noster Redemptor intravit: ubi factus est *sicut passer solitarius in tecto* (*Psal. ci*); quia solus inter mortuos liber, *sedet ad dexteram majestatis in excelsis; tanto melior angelis effectus, quanto differentius pro illis nomen hæreditavit* (*Hebr. i*), ut sit et vocetur Filius Dei. Illic est verus Deus, et vita æterna (*Joan. v*). Ad quem in hac peregrinatione positi anima cujusque fidelis suspirans, sic jucundatur dum per fidem rectam; et sancta desideria ac per bona opera in cælorum regno mansionem suam sentit esse præparatam: sicut passer in foramine parietis exultat id est, etiam veraciter fidelis in foramine materiæ, scilicet in unitate Ecclesiæ, quæ de perforato in cruce Christi latere, lavacro rigatur et poculo, a maligni spiritus et membrorum ejus malignitate protectus, exultat: et qui ex sanguinibus, et voluntate carnis, et voluntate viri natus, sed sanguine Jesu Filii Dei de potestate tenebrarum redemptus, et ex aqua et spiritu, quo idem Dominus Deus noster ex gloriosa semper Virgine Maria domina nostra est natus, et ipse a virgine matre Ecclesia immaculato divini fontis utero est renatus, ac Christo incorporatus, gaudio inenarrabili et exultatione exultat.

XIII. Sunt et alia, quæ de hoc beati Francorum apostoli facto (signa enim apostolatus ejus, Franci sunt, sicut in processu monstrabimus) ad nostræ utilitatis augmentum considerantes trahere possumus, comparantes illud actioni Joannis apostoli. Fertur enim relatione majorum quia cum B. Joanni apostolo avis, quæ perdix vocatur, viva et sana a quodam oblata fuisset, cœpit eam leni manu demulcendo tractare. Quod videns quidam adolescentium ad cœvos suos ridendo dixit: Videte quomodo ille senex cum avicula, sicut et puer ludit. Beatus vero

apostolus ista per spiritum cognoscens, vocavit ad se juvenem; interrogans quid manu teneret. Cui juvenis: Arcum, inquit. Et beatus Joannes: Quod habet officium illud quod in manu tenes? Et juvenis: Sagittamus, inquit, inde bestias, sive aves, vel alia quæque. Et beatus Joannes: Quomodo, inquit, vel quali ordine? Et juvenis curvato arcu tetendit illum, et tensum in manu tenuit. Sed cum B. Joannes nihil ei subsecutus loquendo fuit, post aliquod spatium juvenis arcum distendit. Cui B. Joannes: Cur, inquit, arcum distendisti? Ad quem juvenis: Quia si diutius tensus teneretur, infirmius tela jactaret. Et ad hæc sanctus apostolus: Sic et humana fragilitas, si semper in rigore contemplationis persistat, et sibi non condescendat, minus necessario valida contemplationis penna sublevatur. Quod pia provisione Conditoris et Salvatoris nostri agitur, ut per collatam gratiam crescamus in profectu virtutum, et per infirmitatis nostræ cognitionem, discamus humilitatis custodire virtutem. Quo facto et sermone audientibus magnam instructionis ædificationem et præsentibus contulit, et futuris seque sequentibus dereliquit. Sic et de hoc beato Remigii facto maximam instructionis ædificationem, et in charorum chara dilectione, et in fragilitatis nostræ discreta condescensione, nobis valemus assumere ut ille passeribus subministrans, qui non serunt neque congregant in horrea: sed Deus pascit illos, aliis saturatis, alios saturandos suscepit; nos qui res et facultates, vel cognationis successione, vel fidelium collatione suscepimus, fratribus qui non præparaverunt sibi (quia *hilarem datorem diligit Deus (II Cor. ix)*) cum gaudio bona quæ possumus ministrantes, alios quibus bona ministremus, asciscimus: plus gaudentes de bono opere quam de bona possessione, ut et Deus collætetur bono opere nostro, qui operariis pietatis se in iudicio dicturum prædixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (Matth. xxv)*.

XIV. Accidit autem quodam tempore, cum pastoralis solertia ex more parochias circuiret, ut si negligenter aliquid in divinis cultibus ageretur, fidelis Christi servus agnosceret, et ut bonus agricola, quæ inculta erant, ad bonæ operationis fructus profectos excoleret, ut ad vicum, cui vocabulum est Calmacianus (Calmicianus), perveniret. Ubi dum quidam cæcus per intervalla temporum occultantis se dæmonii invasione possessus, ab eo opem misericordiæ postulasset, quoniam ante ipsius sancti viri præsentiam occultari non potuit (erat enim illius generis, de quo Dominus in Evangelio dicit, quod non ejicitur, nisi in oratione et jejunio (*Marc. ix*), cœpit, qua dudum captus fuerat, dæmonis infestatione idem cæcus corporis vexatione torqueri. Tunc beatus Remigius in oratione, qua semper animo ad Dominum intendebat, corpore, quod jejuniis et bonorum operum exercitio incessanter afficiebat, se humiliter ad terram prostravit, statimque lumen pristinum cæci oculis reddidit, et ab eo pestem immundi spiritus effugavit, et ne ultra eum vexare

A præsumeret, in nomine Christi præcepit, opemque victus petitam pauperi tribuit. O ineffabilis gratia pietatis, quo dum sola substantia petitur, triplex remedium obtinetur! Victu pavit egenum, muneravit visu cæcatum, reddidit libertati captivum. Atque ita contigit per hoc insigne miraculum sanctæ Trinitatis mysterium, ut cum apparuit unus in paupere, Trinitas se ostenderet in salute.

XV. Qui ergo tentationibus, sive occultis in mente, sive apertis in corpore, antiqui hostis sentit se infestatione urgeri, opem intercessionis ejus enixe deposcat; et si fideliter petierit, ab infestatione immundi spiritus se ipsius meritis et orationibus a Dei gratia liberari non dubitet. Qui supernæ lumen contemplationis ignorat, qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam vitam nequaquam diligendo conspicit, et quo gressum operis porrigat, nescit: lumen intelligentiæ ac contemplationis, atque necessariam cordis compunctionem, per intercessionem ejus apud Domini pietatem expostulet, nihil hæsitans, quia pro certo accipiet. Qui paupertate spiritualis victus atque vestitus, fidei videlicet, spei et charitatis, ac cæterarum virtutum se arctari cognoscit: vel etiam temporalibus necessitatibus ac tribulationibus sentit affligi, ejus intercessionum solatia gemitibus et lacrymis expetat, et quod pauper, cæcus atque dæmoniosus per illum obtinuit, se solatio consolationum obtinere confidat. Verum si ad primas rogantis lacrymas Dominus precibus hujus intercessoris nostri respondere, id est, erranti sospitatem mentis dare, vel opem ferre necessitatem patienti distulerit: nec sic quidem a petendo, quærendo, pulsando desistendum est, neque impetrandi subeunda desperatio; sed tanta potius perseverandum instantia, tam obstinato frequentandus est, cum intercessionibus hujus protectoris et adjutoris nostri, clamore Salvator, donec et ipse de cælis Domino pro supplicatore suo supplicet: sicque fiet, ut si mentem ab intentione proposita non mutaverit precator, nequaquam fructu piæ petitionis fraudetur. Sed et si pro sua fragilitate quis, seu pro aliis intervenit, desiderati potietur effectu: nisi forte penitentem cor in petitione reprebenderit, cum resistere se præceptis ejus meminit: quia dignum profecto est, ut ab ejus beneficiis sit quisque extraneus, cujus nimirum jussionibus non vult esse subjectus. Quia in re hoc est salubre remedium, ut cum se mens ex memoria culpæ reprehendit, hoc prius in oratione defleat, quod erravit; quatenus erroris macula cum fletibus tegitur, in petitione sua cordis facies ab auctore munda videatur. Curandum est etiam, ne ad hoc rursus proruat, quod se mundasse fletibus exultat; ne, dum plorata iterum culpa committitur, in conspectu justi iudicis ipsa etiam lamenta levientur, et cor iterum præterita in petitione reprehendant. Graviter namque unusquisque confunditur, quando mandata Dei vel legendo vel audiendo respicit, quæ vivendo contempsit: et inde dubitatione confusus, se ad orandum Deum convertit. Unde Joannis voce

dicitur: *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus apud Deum; et quidquid petierimus ab eo, accipiemus* (I Joan. III). Ac si diceret: Si id quod præcipit facimus, id quod petimus obtinemus. Valde namque apud Deum utraque hæc sibi necessario congruit, ut et oratione operatio, et operatione oratio fulciatur. Hinc etenim Jeremias ait: *Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælos* (Thren. III). Vias etenim nostras scrutari, est, cogitationum interna discutere. Cor vero cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat, sed manus non levat. Quisquis vero operatur, et non orat, manus levat et cor non levat. Juxta laborantis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit.

XVI. Erat enim hic præsul beatissimus, interiorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens. Cum ergo circumiens parochiam sollicitudine pastoralis, transiret per Condomum episcopii villæ, cujus vocabulum est Tudiniacus, aspexit messorum messes secantes: accedensque ad eos, cum verbo prædicationis exhortatus est eos, dando cibum et potum in consolationem laboris. Et dum hæc agerentur, accidit, sobrinam illius, nomine Celsam, Deo sacratam, proinde transire, et villam suæ proprietatis nomine Celtum adire. Quæ cum cognovit sanctum Remigium juxta transitus sui viam esse, venit ad eum, et benigne, ut par erat, ab illo suscepta, petiit eundem virum sanctum, ut una cum illa domum suam, quo ibat, dignaretur adire. Idem vir sanctus, ut erat præstabilis super justis petitionibus, ipsius sobrinæ suæ postulationi præbuit assensum. Et cum pariter ad domum pervenissent, et inter se familiaria et spiritalia haberent colloquia, venit minister ipsius Celsæ ad auriculam ejus dicens, quod villicus ejus vinum, quod in eadem villa fuerat, venditum jam habebat, excepta parvula quantitate quam pro salvando vasculo reservavit. Cujus vultum sanctus Remigius videns robore perfusum, interrogavit quid ei suus minister in auriculam dixerit. Quæ illi prompte respondit, quoniam non tantum pro eo de ipso nuntio verecundabatur, quantum pro eis qui cum eo advenerant. Cognita vero causa, beatus Remigius hilari vultu consolatus est eam, dicens: Pro hac re, filia, noli contristari; dabit enim inde Dominus largitate pietatis suæ solitam consolationem, qui per Prophetam suum se timentibus nihil deesse promisit (*Psal. xxxviii*). Et dixit eidem sobrinæ suæ, audientibus illis qui aderant, ut alia illa curaret: ipse autem vellet interim hortum et viridarium, atque domos illius circumire, et videre qualiter illa maneret. Et sic de industria prius alia circumiens, pervenit usque ad cellarii ostium. Et interroganti, quid in illo tecto haberetur, respondit minister, cellarium esse. Idem autem vir sanctus dixit se illuc introire velle. Cui cum nemo auderet contradicere,

A interrogavit cellarium, si haberet in aliquo de ipsis vasculis vel aliquid vini. Et designato vasculo, in quo aliquid vini remanserat, dixit: Claude ostium, et sta de ista parte, usque dum ego ad te revertar. Et pergens ad alteram frontem vasculi, quæ erat juxta parietem, fecit crucem super idem vasculum quod erat non modicæ quantitatis, et genua flectens ad orationem, oravit diutius: et cepit vinum per foramen superius, per quod eidem vasculo infusum fuerat, adeo redundare, ut super pavimentum ipsius domus largiter inundaret. Et viro sancto adhuc decumbente in oratione, cellarius timore percussus exclamavit, dicens: In nomine Christi, quis unquam tale vidit? Quod cum audivit sanctus Remigius, surrexit ab oratione et præcepit illi ut nemini hoc indicaret, sed diceret dominæ suæ ministris, impetratum vinum se habere unde ministrare valerent. Sanctus vero Domini rediens ad præfatam sobrinam suam, consolatus est eam, dicens: Filia, noli contristari, sed *spera in Domino, et fac bonitatem, et pasceris in divitiis ejus* (*Psal. xxxvi*). Habes nunc vinum: lætemur et exulemus in Domino. Quod factum cum ipsa et homines ejus per cellarium cognovissent, quia scriptum est, *Opera Domini narrare honorificum est* (*Tob. xii*), dixit ad eam sobrina sua: Nunc cognovi, sancte Pater, quia divina inspiratione ad hanc domum hodie te vocavi; propterea de hac villa te et ecclesiam tuam perpetuo hæredem esse faciam. Et præsentialiter ipsam illam ad Rhemensis ecclesiam tradidit, et eidem sancto præsuli inde chartam et vestituram secundum morem legalem fecit.

XVII. Miramur quia, juxta verbum Elisei (*IV Reg. iv*), parvo olei liquore magna vasa infusa, oleo fuere repleta. Miremur quia benedictione et oratione Domini, et Patris ac patroni nostri Remigii, vas non modicæ quantitatis, de parvo liquore, quod in eo erat, vinum superius etiam in pavimentum cellarii redundavit. Et nos qui carnis voluntatibus (*forte voluptatibus*) debriati, alios etiam peccare facientes, peccatis inebriavimus, et ad peccandum nostro vel exemplo, vel verbo illeximus, evacuati a Christo, vasa donis spiritualibus vacua, si ad memoriam hujus beati pontificis a fundo cordium nostrorum, venenum iniquitatum nostrarum, quod delectabiliter, ut vinum, nos ingurgitando bibimus per puram confessionem, cum contritione et cordis rugitu emovuerimus, evacuantes nos felle peccatorum, quo repleti sumus; et lacrymis nos eluerimus, levantes corda nostra cum puris manibus sine ira et disceptatione ad Deum, meritis ejus et precibus obtinere nos posse credamus, ut repleamur abundante gratia Dei, et fiat in nobis fons vitæ, ac in ejus lumine videamus lumen.

XVIII. Tunc ad justitiam credentes corde, et ad salutem consistentes ore, quia in Patre totus est Filius, et in Verbo totus Pater: in Patre simul et Filio totus est sanctus Spiritus: a Patre simul et Filio totus idem procedit Spiritus sanctus; quod in futuro specie videbimus, quando secundum promis-

sionem suam Dominus noster Jesus Christus nobis palam de Patre annuntiabit : quia per patefactam tunc majestatis suæ speciem, et quomodo ipse gignenti non impar oriatur, et quomodo utriusque Spiritus utrique coæternis procedat, ostendet. Aperte namque tunc videbimus quomodo hoc, quod oriendo est, ei de quo oritur, subsequens non est : quomodo is, qui processione producit, a proferentibus non præitur. Aperte tunc videbimus quomodo unum indivisibiliter tria sunt, et indivisibiliter tria unum. Credamus igitur et confiteamur sanctam et inseparabilem Trinitatem, Patrem, et Filium et Spiritum sanctum, coæternam et consubstantialem ac coæqualem sibi esse, unius divinitatis, essentiæ, omnipotentiam, gloriæ, magnitudinis, majestatis et quidquid ad se, id est, substantialiter dicitur : relative autem tres personas Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et quod inseparabilis naturæ unitas, non possit separabiles habere personas. Quod et in hoc ostenditur, personas non posse dividi in Trinitate, quia cujuslibet personæ nomen, semper ad alteram respicit personam. Si Patrem dicis, Filium ostendis. Si Filium nominas, Patrem prædicas. Si Spiritum sanctum appellas, Patris et Filii esse Spiritum necesse est intelligas. Et hoc regulariter sit tenendum, quod omnia naturæ nomina, vel essentiæ, sicut in una persona singulariter, sic etiam in tribus semper singulari numero sit dicendum, et in Deo nihil secundum accidens sit dicendum, quia nihil in eo mutabile est. Et qualis ac quantus sit Pater, talis ac tantus sit Filius, talis ac tantus sit Spiritus sanctus : nec aliquod majus sit, tres simul dictæ personæ, quam singulæ quoque personæ : quia eadem magnitudo est in unaquaque persona semel dicta, quæ est in tribus personis simul nominatis.

XIX. Una vero tantum ex eadem sancta Trinitate persona Filii, per quem omnia facta sunt, operatione Spiritus sancti ex immaculata carne perpetuæ Virginis Mariæ nostræ carnis substantiam, animatam nostræ naturæ anima rationali et intellectuali, de incomprehensibili, nobis virtutis suæ opere, totum scilicet hominem, ut totum salvaret hominem, assumpsit in unitate personæ divinitatis suæ. Nativitas enim Domini secundum carnem, quamvis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendit, sive quod solus ab inviolata Virgine sine concupiscentia est conceptus et natus, sive quod ista visceribus matris est editus, ut fecunditas pareret et virginitas permaneret : non alterius tamen naturæ erat ejus caro, quam nostra est, nec alia illi, quam cæteris hominibus, anima est inspirata principio, quæ excelleret, non diversitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim carnis suæ habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum. Sensus corporei vigeant sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine Deitatis et mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis. Verus homo vero unitus est Deo, sed secundum existentem prius animam

A deductus e cælo, nec secundum carnem creatus ex nihilo. Eadem generis in Verbi divinitate personam, et tenens communem nobis in corpore animeque naturam. Non enim esset Dei hominumque mediator, nisi idem Deus, idemque homo in utroque et unus esset et verus. Quam servilem formam, a solo Filio Dei susceptam, tota sancta Trinitas, cujus una est voluntas et operatio, in utero gloriosæ ac semper Virginis Mariæ fecit, sicut evangelizavit ei archangelus : *Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te, et virtus Altissimi obrumbabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei (Luc. 1)*. Quæ tota sancta Trinitas, scilicet Deus Pater, nuncupatione Altissimi designatus; et ejus virtus et sapientia, quæ ædificavit sibi domum (*Prov. ix*), unigenitus videlicet Filius ipse auctor operis, ipse opus auctoris, cooperante Spiritu sancto, ejusdem Salvatoris nostri humanitatem, corpus nimirum et animam, condidit in visceribus Virginis, quæ facta est ancilla hominis per divinitatem, et mater Verbi per carnem. Non autem prius in utero Virginis caro concepta est, et postmodum divinitas venit in carnem, sed mox Verbum venit in uterum; mox Verbum servata propriæ veritate naturæ factum est caro. Et perfectus homo, id est in veritate carnis et animæ rationalis, natus est per uterum. Virginis Filius Dei, unctus oleo lætitiæ, id est et dono spiritus sancti, præ consortibus suis (*Psal. xlv*), scilicet præ cæteris hominibus. Nos prius homines peccatores efficiamur, et postmodum per unctionem sancti Spiritus sanctificamur : ipse autem existens Deus ante sæcula, per Spiritum sanctum, in utero Virginis homo conceptus est in fine sæculorum. Ibi ab eodem Spiritu unctus est, ubi conceptus, nec ante conceptus et postmodum unctus est : sed hoc ipsum de Spiritu sancto et carne Virginis concipi, a Spiritu sancto ungi fecit. In quo complacuit inhabitare, omnem plenitudinem divinitatis corporaliter (*Col. ii*), id est substantialiter : quia Verbum per omnipotentiam suam, voluit hunc perfectum hominem quem assumpsit, hoc fieri ex tempore, quod ipse semper fuit sine tempore, id est, proprium Filium Dei? ut non possint dici duo Filii Dei, alius ante tempora genitus, et alius factus ex tempore, ne quaternitas (quod absit), pro incarnatione ipsius in sancta Trinitate dicatur : quoniam Deus, Dei Filius humanam assumpsit naturam, non personam in æternam suscipiens personam divinitatis, temporalem humanitatis substantiam. Homo transivit in Deum, non vertibilitate naturæ, sed propter divinæ unitatem personæ. Nam sicut in sancta Trinitate alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, sed non aliud est Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus : ita in Dei Filio Domino nostro Jesu Christo, aliud est divinitas, aliud anima, aliud corpus ; sed non alia est persona divinitatis, et alia humanitatis, sed una, eademque persona. Ideo non sunt duo Christi, nec duo Filii, sed unus Christus, et unus Filius, Deus et homo, juxta evangelistam, *plenus*

gratia (Joan. 1) : quia plenitudo humanitatis, anima et corpus, assumpta est in Verbo in unitate personæ suæ divinitatis. *Plenus veritate*, quia in plenitudine humanitatis inhabitat plenitudo divinitatis : quem beata Virgo Maria, salva integritate sui corporis, Deum et hominem, unicum filium edidit, quemadmodum salva virginitate concepit, creatorem corporum et animarum humanarum, quæ ab eodem opifice suo Deo incorporantur, et priusquam suis inspicientur corporibus, non fuerunt. Sed quia per primi hominis prævaricationem, tota humani generis propago est viliata nemo potest a conditione veteris hominis liberari nisi per sacramentum baptismatis Christi, in quo nulla est discretio renatorum : quia quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in unam parit gratia mater infantiam, dicente Apostolo : *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus et Græcus; non est servus neque liber : non est masculus neque femina : omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* (Gal. 3). Cujus humanitatem in nulla proprietate operum, quæ naturas in eo distinguunt, divinitas disseruit, postquam eam assumpsit, nec in ipsa etiam passione, quamvis ipsa divinitas impassibilis semper in sua permanet natura.

XX. Et quoniam Joannes Baptista eidem Domino nostro Jesu Christo singulariter ac sine mensura datam Spiritus largitatem dixit, in quo omnis plenitudo divinitatis habitat (Joan. 11), cujus anima et caro cum Verbo unus est Christus, et unicus filius, anima ejus plenam in se divinitatis habuit semper, et habet notitiam, cum qua naturaliter una creditur habere personam. Ipse est enim qui dat sanctis Spiritum, ipse est qui accipit : æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Et quia potens est ad mensuram dare, ideo non debuit ad mensuram accipere. In forma enim Dei manens, Spiritum dat : formam servi accipiens, Spiritum accepit. Ipsum enim, quem ad mensuram dat, totum accepit. Idem sacerdos et sacrificium, veniens ad nos offerre pro nobis, quod assumpsit ex nobis, ut auferret a nobis quod invenit in nobis, id est peccatum, mediator Dei et hominum, habens cum Patre eandem divinitatis naturam, et humanitatis eandem cum matre substantiam. Habens ex nobis usque ad mortem, nostræ iniquitatis pœnam, habens incommutabilem de Deo Patre justitiam. Propter nostram iniquitatem temporaliter mortuus, propter justitiam suam, et ipse semper vivus. Qui Dominus et rex gloriæ (Psal. xxiii) crucifixus est, ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute sua. Idem Deus qui in cruce homo factus pependit, et in sepulcro idem Deus homo factus jacuit : sed in sepulcro secundum solam carnem idem Deus jacuit, et in infernum secundum solam animam descendit, et resurrexit tertia die carne : quia peccatum non fecit, a quo resurgeret anima (I Cor. xv). Ipse Deus et homo ascendit in cœlum, et sedet ad dextram

A Patris venturus judicare vivos et mortuos. Quidquid enim in Christo factum esse legitur, ab uno Christo, et ab uno Dei Filio gestum est. Hoc vero personaliter totus Christus dignatus est agere. Ipse quippe suas passiones invenitur operatus, qui nihil habuit, quod pateretur invitus. Cujus anima tantæ sanctitatis et justificationis est, ut omnes in se credentium animæ, per eam sanctificari et justificari queant. Et caro tantæ munditiæ et libertatis est a peccato, ut omnes in se confidentium carnes, divina in eo operante gratia, purgari et liberari possint : quia sanguis qui de eadem carne lancea militis vulnerata fluxerat (Joan. xix), pretium est salutis humanæ. Per cujus effusionem exstincta est flamma illa paradisi custodia, et via fidelibus aperta est ad lignum vitæ, quod plantatum est secus decursus aquarum viventium (Psal. 1). Cujus ligni sapientissimus Salomon, cum de laude sapientiæ multa dixisset, recordatus est, ita dicens : *Beatus homo, qui invenit sapientiam et cui affluit prudentia* (Prov. 11). Et paulo post : *Vix ejus vix pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ* (Prov. 11). Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerint eam, beatus. Quem scilicet Christum Dei virtutem et Dei sapientiam videns Joannes Baptista et præcursor suus venientem ad se, populis, quibus diu illum prædicaverat, digito demonstravit, dicens : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (Joan. 1). Ecce agnus Dei, ecce innocens, et ab omni peccato immunis utpote qui os quidem de ossibus Adam, et carnem de carne Adam, sed nullam peccatrice de carne traxit maculam culpæ. Ecce qui tollit peccatum mundi, ecce qui justus inter peccatores, mitis inter impios, hoc est, quasi agnus inter lupos apparens etiam peccatores et impios justificandi habet potestatem.

XXI. Quomodo autem peccatum mundi tollat, quo ordine justificet impios, apostolus Petrus ostendit, qui ait : *Non corruptilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni incontaminati et immaculati Jesu Christi* (I Petr. 1). Et in Apocalypsi Joannes apostolus : *Qui dilexit nos, inquit, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (Apoc. 1). Non solum autem lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum dedit in cruce pro nobis, vel quando quisque nostrum in mysterium sacrosanctæ passionis illius baptismi aquis ablatus est : verum etiam quotidie tollit peccata mundi, lavatque nos a peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cum ejusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cum panis et vini creatura, in sacramentum carnis et sanguinis eis, ineffabili spiritus sanctificatione transfertur ; sicque corpus et sanguis illius, non infidelium manibus ad perniciem suam funditur et occiditur, sed fidelium ore sumitur in salutem. Cujus recte figuram agnus in lege paschalis ostendit, qui semel populum de Ægyptiaca servitute liberans, in memoriam ejusdem liberationis per omnes annos immolatione sua populum eundem

sanctificare solebat (*Exod. xii*), donec veniret ipse A cui talis hostia testimonium dabat. Oblatusque Patri pro nobis in hostiam odoremque suavitatis, mysterium suæ passionis, oblato agno, in creaturam panis vinique transferret, sacerdos factus in æternum, secundum ordinem Melchisedech, qui per proprium sanguinem semel introivit in sancta, æterna redemptione inventa (*Hebr. v et vi*). Quia Verbum quod erat in principio Deus apud Deum, cibus sempiternus sanctorum angelorum, unde vivunt supernæ virtutes, caro factum est, id est idem Deus Verbum, quod erat apud Deum, homo factus est, sicut dictum est, et semper credendum atque dicendum est. Quo auctore et redemptore, nunc in cœlo vivunt cibo sempiterno beatorum spiritus, ac perpetuo omnis vivet Ecclesia sanctorum. Et nos vera ejus carne de cruce pascimur, et sanguine vero ac vivo, qui de latere ejus in cruce manavit, potamur: qui manducatus et potatus, integer perseverat et vivus, quia surrexit occisus. Et in hac mystica distributione spiritualis alimonie, hoc impartitur, hoc sumitur; ut accipientes virtutem cœlestis cibi, in carnem ejus, qui caro nostra factus est, transeamus, et in quo crucifixi, cui commortui, et consepulti, et conresuscitati, ipsum per omnia carne et spiritu gestemus. Nam aliter in sancta Ecclesia, quæ corpus ejus est, nec rata sacerdotia, nec vera sunt sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ, verus nos pontifex reconciliet, et verus immaculati agni sanguis emundet. Qui licet in Patris dextera sit constitutus, in eadem tamen carne, quam assumpsit ex Virgine, sacramentum propitiationis exsequitur dicente Apostolo: *Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis (Rom. viii)*.

XXII. Hujus si quidem gratia repletos, et in ea usque ad excessum vitæ perseverantes, poscimus nos istius Patris nostri meritis ac precibus multiplicari, a fructu frumenti, et vini et olei Dei, id est doctrina sancta, sapientia superna, divinæ gratiæ misericordia, ut inebriati ab ubertate domus ejus, ac pinguedine, videlicet gratia sancti Spiritus, qua repletur catholica Ecclesia, quæ est domus et corpus ejus flumina de ventre nostro fluant aquæ vivæ, de mentibus scilicet nostris spirituales doctrinæ, quæ sunt animæ vita: et quos per baptismum ab omnibus mundavit sordibus peccatorum, per lacrymas pœnitentiæ a cunctis ablutos facinoribus, in vitæ conservet munditia, et ad vitam mundos perducatur æternam.

XXIII. Qui humani generis adversarius non desistit ostendere nocendo malignitatis suæ potentiam, immissione sua surgentibus subito flammarum globis, hanc civitatem Rhemorum succendit. Et nimia vastatione oborta, jam partem fere tertiam favillis exstantibus, concrematio peracta consumpserat, et quod residuum erat, victrix flamma lambebat. Cujus rei nuntius cum ad beatissimi Remigii antistitis pervenisset auditum, illico ad orationem in basilica

beati Nicasii urbis hujus pontificis et martyris (nam ibi tunc morabatur) se prostravit: et surgens ab oratione, suspiciens in cœlum, ingemuit et dixit: Deus, Deus meus, adesto voci meæ. Et concito cursu per gradus, ante ipsam ecclesiam petris compositos egressus, civitatem petiit. In quibus petris, ac si super molle lutum impressa ejus fuerunt vestigia, quæ hodieque ibi ad memoriam divini miraculi demonstrantur. Et sic celeri velocitate cucurrit, atque se igni opposuit: statimque ut extensa dextra contra ignem, cum invocatione Christi nominis signum sanctæ crucis fecit, totum illud incendium, velut quodam reatu cognito, fracta et concisa, atque in sese relisa virtute, cœpit ante viri Dei præsentiam fugere. Quod vir Dei semper insequabatur, et inter ignem, et ea, quæ adhuc erant residua, cum signo sanctæ crucis et invocatione Christi se opponebat. Sicque totum flammarum globum, ante se fugientem, per patentem portam (sic enim tunc temporis vocabatur, quia portis aliis clausis ob civitatis custodiam, pro exeuntium et introeuntium commoditate in die patebat) divina potentia expulit, et alia porta ad hoc officium deputata, præfatam portam clausit, et ut nunquam ab aliquo aperiretur, cum interminatione vindictæ, qui illam præsumeret aperire, prohibuit: sicut et Josue imprecatus est ultionem de eo qui muros Jericho, Dei virtute dejectos, denuo restauraret (*Jos. vi*). Post quosdam vero annos, civis quidam nomine Fercintus, secus illam portam manens, pertusum in maceria, qua eadem porta obstructa fuerat, fecit, per quem simum suæ cortis ejiceret. Quem mox tanta est vindicta secuta, ut non homo, non pecus clade superveniente in eadem domo remanserit. In quo miraculo omnibus gratia Dei declaravit, quod vir Dei plenus fide, plus igne divini amoris coluit, qui sævitiam tantæ indignationis meritis sanctis suis evicit, expulit et exstinxit. In eo enim, quia in silicibus ejus fuerunt impressa vestigia, et beati Petri in elemento instabili soliti gressus jussione Domini exstiterunt, licet diverso modo, non tamen diversa fide ac gratia, operationem Christi conspicimus. Nam et in veris historiis legimus, quia in sancta civitate Jerusalem servatur lapis durissimus, in quo monstrantur pia Redemptoris vestigia, quando ante Pilatum judicem stetit, cujus cordi saxo duriori, exigentibus culpis, ejus verba imprimi nequiverunt.

XXIV. Et silicibus impressis vestigiis servi sui Remigii, contra malitiam diaboli, cujus membrum Pilatus exstitit, pugnaturi, dignatus est demonstrare, quia dedit ei, sicut discipulis suis in carnis præsentia dixerat, potestatem calcandi super omnem virtutem inimici (*Luc. x*). Verum et in hoc facto gratia suæ potentiæ voluit demonstrare, quam pretiosi sint pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (*Isa. lxi*), per quem auferebat a duris corde, et ablaturus erat ab infidelibus Francis corda lapidea, et dabat pertinacibus atque daturus erat infidelibus corda mollia, ad recipienda divini verbi semina, ut

per patientiam referrent fructum in tempore suo. Sed et per se Dominus, qui perforato in cruce latere suo ædificavit Ecclesiam, profundens aquam et sanguinem, quibus eadem Ecclesia lavacro rigatur et poculo : et per hunc servum suum, cui regendam suam commisit Ecclesiam, impressis in petra vestigiis, quando robustiora saxi vestigia, et molliora vestigiis saxa ostensa sunt, demonstrare singulariter voluit, quod de eadem Ecclesia per Moysen figurata locutione prædixit : *Ferrum et æs calceamentum ejus* (*Deut. xxxiii*). Calceamentum quippe in Scriptura sancta, munimen prædicationis accipitur, sicut scriptum est : *Calceati pedes in prædicatione Evangelii pacis* (*Ephes. vi*) Quia ergo per ferrum virtus, per æs autem perseverantia exprimitur, ferrum et æs calceamentum ejus dicitur, dum prædicationis acuminis simul constantia munitur. Per ferrum enim, mala adversantia penetrat ; per æs autem, bona quæ proposuit, longanimiter servat. In eo quod inter ignem, et ab incendio necdum tactus stans, cum signo crucis et invocatione Christi nominis iste vir sanctus, qui cum suis collegiis dicere poterat, *Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor. ii*) in omni loco, se transgredi flammam prohibuit, Dei miraculum fuit repræsentatum, quando Aaron pontifex, ut iram Domini placaret, thuribulum cum incenso odorifero sumpsit, atque inter mortuos et viventes stetit (*Num. xvi*). Cujus meritis et precibus postulemus in nobis exstingui flammam vitiorum, nosque liberari ab igne perpetuo intolerabilium tormentorum. De eo, quod præfatus civis, contra vetitum beati Remigii, quod ille clauserat, aperire præsumpsit, et ultione non caruit : nos quoque pertimescamus sanctorum verba et præceptiones parvipendere : quia Deo in se loquente, sine mutabilitate manentes sententias exprimit eorum sermo, qui transit.

XXV. Quædam puella ab urbe Tolosa præclaris orta natalibus, ab infantia maligni spiritus tenebatur obsidione captiva. Quam cum tenero amore diligenter piissimi genitores, ad sancti Petri sepulcrum in Romanam urbem cum plurima multitudine et multa devotione duxerunt. In iisdem namque partibus erat tunc vir vitæ memorabilis, gratia et nomine Benedictus *, plurimis effulgens virtutibus. Cujus famam audientes ipsius puellæ parentes, ad eundem Dei servum illam perduxerunt. Qui multis jejuniis et orationibus pro ipsius emendatione ab infestissimo dæmone laborans Domini potentiam studuit exorare. Quam cum nulla potuisset intercessione curare, nec ab ipsa callidi dæmonis virus valuisset expellere, multis ac validissimis exorcismis adjuratus, hoc responsum antiquus hostis reddidit, divini nominis obtestatione constrictus, quod nunquam alterius de eodem habitaculo, nisi hujus beatissimi Remigii antistitis orationibus posset expelli. Tunc parentes ejus cum ipsius viri Dei Benedicti litteris

* Erroris hic Hincmarus a Baron. tom. VI Anal. arguitur, quod pro Benedicto puellæ patre homine prædivite in provincia, hanc de S. Bened. hi-

hanc Rhemorum civitatem adire cœperunt. Et quoniam apud Alaricum regem Gothorum qui in Tolosana civitate sedem suam constituit, et una cum regno Gothico magnam partem Galliarum sibi obtinuit, præditæ puellæ parentes valde honorati, ac familiares, et, ut ferebatur, carne propinqui ejus erant, cum litteris ac legatis ipsius ad beatum Remigium pro emundatione sæpeditæ puellæ ab antiquo hoste, in hanc urbem, illam secum vinculam adducentes, venerunt, ut Christi per eum virtutem agnoscerent in purgatione sobolis, quam præscierant confessione latronis. Beatus autem Remigius cum diuturna reluctatione se non esse ad tantum opus dignum assereret, et consueta patientia repugnaret, precibus est populi supplicantis evictus, ut orationem pro ea funderet, et parentum lacrymis condoleret. Tunc meritis sanctitatis armatus, verbi præcepit imperio, ut iniquus prædo, per quod ingressus fuerat, discederet, et Christi famulam relaxaret. Itaque cum nimio vomitu et obsceno fœlore per os, quo intravit, egressus est. Sed paulo post discedente pontifice, sub ipsius tamen horæ spatio, dum nimio labore fessa nutaret, vitæ calore decepta, spiritum salutis amisit. Iteratis ergo precibus supplicantium turba recurrit ad medicum. Vir autem sanctus se accusat potius perpetrasse, quam sanitatis præmium indulsisse ; et exstitisse homicidii reum, non contulisse remedium. Ad basilicam igitur sancti Joannis Baptistæ, ubi corpus jacebat examine, populi obtentus deprecatione, regreditur, ibique sanctus Remigius cum lacrymis ad pavimenta sanctorum in oratione prosternitur, et reliquos, ut ita facerent, adhortatur. Et effuso lacrymarum imbre, consurgens suscitavit mortuam, quam prius sanavit ægrotam. Apprehendens namque manum ejus, dixit : Puella, in nomine Domini nostri Jesu Christi, surge. Quæ mox cum integra incolumitate, sicut ipsa postea fatebatur, ab ipsis inferni claustris surrexit, et ad propria feliciter remeavit.

XXVI. Potest enim fragilitate carnis exutus, et choris angelicis sociatus, plebem suam et quemlibet cum fide petentem, de casu cujuslibet periculi imminentis, meritis et precibus suis eripere, et quemcunque a malis ad bona conversum, de cujuscunque peccati morte resuscitare, sed et de futura perpetua morte liberare, qui adhuc in ergastulo corruptibilis carnis positus, viam mortuæ valuit restaurare. Propterea quoniam duæ mortes sunt in unoquoque nostrum, una videlicet animæ per peccatum, et altera corporis propter peccatum ad pœnam peccati : quia mors est animæ, quando Deus eam deserit ob magnitudinem peccatorum ; et mors est corporis, quando ab anima deseritur ; et duæ sunt resurrectiones, nunc animæ in Ecclesia per Filium Verbum Dei, quando per gratiam ejus resurgit a morte iniquitatis : et hæc est prima resurrectio, quam qui historia contexuerit, probatque id ex testam. S. Remig. quod apud Briss. habetur, et apud Flod. in hist. Rhem. lib. v, c. 18 : vide Bar. an: 507.

bet, et in secunda, quæ est corporis, feliciter resurget in vitam æternam per Verbum Dei carne factum Filium hominis, qui potestatem accepit iudicium facere : quod iudicium in fine erit sæculi : et ibi non erit resurrectio animarum, sed corporum. Petamus igitur corde contrito, cum lacrymis, bonis operibus suffragantibus, per hujus patroni nostri intercessionem nos resuscitari a morte animæ in præsentī vita, ut vivamus in Christo : et ut resurgentes corpore in fine sæculi, æternaliter vivamus cum Christo : credentes firmiter non per ejus intercessionem hoc apud Domini misericordiam obtineri posse, si fideliter petierimus : qui in curatione prius a dæmone, et post in resurrectione corporis a morte præfatæ puellæ, certissimum pignus de meritis ejus accepimus.

XXVII. Habcamus seduli ante mentis oculos horam exitus nostri de corpore; præveniamus faciem Domini in confessione peccatorum nostrorum et lacrymis ac bonis operibus : indulgentes his qui in nos peccaverunt, ut indulgentiam peccatorum nostrorum obtinere possimus apud Domini misericordiam : et non negligamus bona quæ nunc agere poterimus. Sed pro his quæ in isto sæculo egimus, condignam remunerationem in illo sæculo accipiemus ab eo qui, ut scriptum est, *reddet unicuique secundum opera sua* (Rom. XII). Nam ut taceamus de apostolis, martyribus, confessoribus, et cæteris arctioris et perfectioris vitæ viris, qui mox corruptione carnis soluti, cælos penetrant, et quem in sua cognovere carne mortalem, jam in natura divinitatis Patri et Spiritui sancto videre possunt æqualem; quorum unus certaminum suorum conscius non dubitavit de seipso testari : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (Philip. VIII): sunt plures in Ecclesia justī, qui post carnis solutionem, continuo in beata paradisi requie suscipiuntur, exspectantes in magno gaudio, in magnis congaudentium choris, quando recepto corpore veniant et appareant ante faciem Dei. At vero nonnulli propter bona quidem opera, ad electorum sortem præordinati, sed propter aliqua mala, quibus polluti de corpore exierunt, post mortem, severe castigandi, excipiuntur flammis ignis purgatorii; et vel usque ad diem iudicii, longa hujus examinatione, a vitiorum sorde mundantur: vel certe prius amicorum fidelium precibus eleemosynis, jejuniis, fletibus et hostiæ salutaris oblationibus absoluti pœnis, et ipsi ad beatorum perveniunt requiem. Unde pensandum est, quod tutior via sit, ut honum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat, dum vivit, ipse per se, Beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere.

XXVIII. Denique, cum quidam ægrotus familiæ non ignobilis, necdum baptizatus, se a sancto postulari Remigio visitari, et jam velut in ultimo spiritu potitus, credere se fateretur, et baptizari deprecaret, ægroto abrenuntiante, et benedicto fonte,

• Vide lib. I Pauli Æmilii de Gestis Francorum.

A sanctus Remigius a presbytero loci illius exorcizatum oleum et chrisma quæsivit. Qui simplex oleum se habere, sed oleum exorcizatum et chrisma in ampullis, in quibus fuerat, jam penitus defecisse respondit : Sanctus autem Remigius ipsas ampullas sibi afferri præcepit : quas vacuas super altare misit, et se in orationem prostravit. Surgens autem ab oratione ampullam, in qua brevis habebatur olei exorcizati, et alteram ampullam, in qua brevis continebatur sacri chrismatismatis, plenas invenit. Sicque infirmum, qui ante abrenuntiaverat, post abrenuntiationem oleo exorcizato perunxit : demumque baptizatum, secundum traditionem ecclesiasticam, chrismate sacro linivit. Qui mox animæ sanitate recepta, etiam corporis incolumitatem promeruit. Quem, fratres charissimi, quem imitatum atque secutum in hoc miraculo beatum Remigium debemus advertere, nisi eum, qui in nuptiis, ad quas venire, et eas sua præsentia dignatus est significare, hydrias vacua aqua impleri præcepit, et eandem aquam nutu suo in vinum convertit? (Joan. II.) Et quidem Dominus potuit implere vacuas hydrias vino, qui in exordio mundanæ creationis cuncta creavit ex nihilo : sed maluit de aqua hydrias impleri, et de ipsa aqua facere vinum : ut ministrorum obsequio hydriæ aqua replerentur, et benedictionis suæ nutu aqua verteretur in vinum : ut patenter ostenderet, quia sicut omnia fecit ex nihilo, ita et naturas rerum sanctificatione sua mutat, ut ipse volet. Et beatus Remigius servus et amicus sponsi Ecclesiæ credentem per divina mysteria, socians eidem corpori ejus verbis solemnibus poterat simplex oleum exorcizare, et sanctum Chrisma, sicut et fontem sacrare : sed maluit, ut Dominus singulatim de sacramentis sanctificatis ampullas, in quibus fuerant, benedictionis suæ potentiam replet, et se fidelem in verbis suis, quibus dixerat : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joan. XVI), ad confirmandam fidem neophyti credentis obsequio famuli sui, ostenderet. Certum est, quoniam qui in exordio creationis, creaturis singulis benedixit, et eas semper ipsa benedictione in usus hominum crescere, et multiplicari fecit; et de creaturis panis et vini aqua misti, sed et olei, secundum suam traditionem, ad invocationem sacerdotis semper bona creat : non faciendo, quod jam erant; sed sacrosancta mysteria faciendo existere, quod nondum erant, corpus videlicet et sanguinem suum et chrisma salutis æternæ : idem ampullas singulas oleo replevit, et ad invocationem sacerdotis sui, sanctificationis benedictionem singulatim infudit.

XXIX. Cum gentis Francorum, ut historiæ produnt, de Troia civitate, impugnantibus et expugnantibus Græcis, pars cum Ænea in Italiam perrexit; pars eorum videlicet, duodecim millia in finitimas Pannoniæ partes secus Mæotides paludes pervenerunt, ibique civitatem advenientes ædificaverunt, quam ob suam memoriam Sicambriam vo-

caverunt : in qua multis annis habitaverunt, et in A gentem magnam usque ad tempora Valentiniani imperatoris creverunt. Et ita sub principibus crinitis, juxta morem gentis subinde succedentibus, per Thuringiam regionem Germaniæ a castello Dispargo, in quo diu habitaverunt ad Belgicæ provinciæ Tornacum atque Cameracum civitates aggressi sunt. Ideoque ad summum fluvium partem Belgicæ provinciæ occupaverunt, ubi plurimis temporibus degerunt, sub Clodoveo et Meroveo rege utili, a cujus nomine celeberrimo, Franci vocati sunt Merovingi : sicut a Valentiniano imperatore Attica lingua vocati sunt Franci, hoc est ferores. Cui Meroveo in principatum successit Childericus, qui de Basina (al., Bissima) regina Thuringorum habuit filium Clodoveum, qui fuit rex magnus super omnes ante se reges Francorum, pugnator bellicosissimus atque egregius. In illis diebus vel temporibus ceperunt Franci Agrippinam civitatem super Rhenum, quam Coloniam vocaverunt, et Trevirorum civitatem super Mosellam, quæ ab Hunnis antea diruta et afflicta fuerat, succedentes ceperunt. In illo tempore in his partibus circa Rhenum usque Ligerim fluvium habitabant Romani, quorum princeps erat Ægidius. Ultra Ligerim autem dominabantur Gothi, quorum princeps erat Alaricus, Burgundiones quoque Ariani, ut et Gothi habitabant juxta Rhodanum fluvium usque ad civitatem Ludgunum, et ei confines urbes, quorum princeps erat Gundebaldus. Eo tempore mortuus est Ægidius, et successit in principatum Romanorum, qui habitabant in Galliis, filius ejus Syagrius. Mortuo autem Childerico, qui Aurelianum et Andegavos civitates cum suo exercitu Francico occupavit atque vastavit, Clodoveus filius ejus sagaciter Francorum regnum suscepit. Anno quinto Clodoveo regnante, Syagrius filius Ægidii dux Romanorum qui in Galliis habitabant, in Suessionis civitate, quam pater ejus tenuerat, residebat : super quem Clodoveus cum hoste advenit atque devicit : quemque ab Alarico, apud quem in Tolosa, fugiens Clodoveum, aliquandiu habitavit, sibi transmissum recepit, et occidi præcepit, et omnia quæ illius erant, suæ potestati subegit.

XXX. Eo tempore multæ ecclesiæ a Clodovei exercitu depredatæ sunt. Erant autem, sicut et rex illorum, fanatici et pagani. Attamen audientes miracula quæ fiebant per B. Remigium, reverebant eum : et licet pagani diligebant illum, in quo lux cælestis gratiæ omnibus resplendebat, et rex illorum libenter illum audiebat, et audito eo, multa faciebat, et a multis nequitiis se cohibebat. Erat enim sanctus Remigius vir sapiens, atque sanctissimus, egregius rhetoricus, præclarus in virtutibus, cæcis visum restituens, mortuis vitam reparans, dæmonia ejiciens, omniumque infirmitatum languoribus medelam præbens.

* Flod. lib. 1, c. 13, hist. Rhemens.

XXXI. Transitum autem rex faciens secus civitatem Rhemorum per viam, quæ usque hodie, propter Barbarorum per eam iter, Barbarica nuncupatur : noluit eandem civitatem introire, ne ab exercitu suo aliquod malum ibi fieret. Sine voluntate autem et conscientia ipsius, pars quædam indisciplinatorum, quoniam non erat potestas temporalis inhabitantium, quæ eis resisteret, eandem civitatem intravit, et quædam ornamenta atque vasa sacra inde rapientes, ut prædones solent, asportaverunt. Inter quæ urceum miræ magnitudinis atque pulchritudinis rapientes tulerunt. Sanctus autem Remigius missos suos ad regem Clodovenum dixerit, deprecans, ut si aliud de sacris vasis Ecclesiæ recipere non meretur, vel illum urceum missis suis reddere juberet. Hæc audiens rex ait ad missos ecclesiasticos : Sequimini nos usque ad Suessionum civitatem, quia ibi cuncta, quæ acquisita sunt, dividenda erunt. Cumque urceus ille mihi in partem obvenerit, quæ episcopus postulat, adimplebo. Veniens autem Suessionum civitatem, cunctam prædam, quæ asportata vel acquisita fuit, rogat afferri in medium. Cumque omnia fuissent in præsentiam regis allata, dixit : Rogo vos, o fortissimi pugnatores, ut mihi dare urceum istum non negetis. Hoc rege dicente, Franci illi, qui bono animo fuerunt, aiunt : Omnia, gloriose rex, quæ cernis, tua sunt, et nos tuo dominio sumus subjecti. Quod tibi bonum videtur, hoc fac : nullus enim tuæ potestati resistere audeat. Cumque hæc illi benigne dixissent, unus Francus levis, cum vociferatione elevata hipenni, quæ alia nomine vocatur francisca, percussit urceum istum dicens : Tu nihil hinc accipies, rex, nisi quod tibi sors vera donaverit. Obstupefactis omnibus, rex injuriam suam patienter sufferens, acceptum urceum nuntio ecclesiastico reddidit, servans iram in corde absconsam. Transacto anno Clodoveus rex, ut omnium armorum nitorem videret, omnem exercitum jussit cum armorum apparatu venire secundum morem in campum Martium. Sic enim conventum illum vocabant a Marte, quem Pagani deum belli credebant, a quo et Martium mensem et tertiam feriam, diem Martis appellaverunt. Quem conventum posteriores Franci Maii campum, quando reges ad bella solent procedere, vocari instituerunt. Verum ubi rex cunctum exercitum circumivit, venit ad hominem illum, qui urceum præterito anno cum bipenne percusserat, et ait ad eum : Nullus hic tam inculta et sordida habet arma, sicut tu : quia neque clypeus, neque lancea, neque bipennis est utilis. Accepit autem rex Franciscam ejus, quæ vocatur bipennis, et projecit in terram. Cum autem ille se inclinasset eam recolligere, rex statim elevata manu franciscam suam in caput ejus defixit, et ait : Sicut tu in Suessionum civitate superiori anno in urceo isto fecisti, sic et facio tibi. Mortuoque illo, exercitum rex de ipso campo jussit

ad propria in pace discedere. Grandis pavor et timor A pro hac re in Francorum populo surrexit.

XXXII. Clodoveus decimo anno regni sui, commoto exercitu, sibi Thuringiam provinciam subjugavit. Inde Gundebaldi regis Burgundionum neptim, filiam videlicet fratris sui Chilperici, quem gladio interfecerat, nomine Clotildem, pulchram satis puellam, et vere Christianissimam interveniente Aureliano consilio, ac legatario suo, nutu divino, in conjugem sumpsit, sicut lector in suo loco plenius legere potest. In diebus illis dilatavit rex ^a Clodoveus regnum suum usque Sequanam: sequenti tempore usque fluvium Ligerim occupavit, accepitque Aurelianus castrum Milidunense, quod et in ducatum obtinuit.

XXXIII. Conceptit denique ac peperit filium Clotildis. Quem cum sacro Baptismate consecrari vellet, rex non acquiescebat ei. Necdum enim credebatur in Dominum Deum cœli. Regina autem quotidie illi prædicabat eum: at ille nolebat eam audire. Interea regina parat filium ad baptismum, ornat ecclesiam velis atque cortinis, ut regis cor ad credendum compungeret. Baptizatus est puer, quem Ingomirum vocavit, quique in Albis decessit. Unde rex nimis contritus, reputabat reginæ, increpando dicens ad eam: Quia si in nomine deorum meorum puer dedicatus fuisset, utique incolumis diu vixisset. Quia vero in nomine Dei vestri baptizatus est, vivere non potuit. Regina vero dicebat: Deo gratias ago, qui me non duxit indignam, ut de utero meo primogenitum in regno suo recipere dignatus sit. Ego autem nullum dolorem in corde meo pro hac causa retineo. Postea vero genuit filium alium, quem in baptismo Clodomirum vocavit. Et hic cum ægrotare cœpit, dixit rex: Non potest aliud, nisi de isto sic fiat, quomodo fuit de fratre ejus, ut baptizatus in nomine Christi vestri, cito moriatur. Sed orante regina, et Domini misericordia præcurrente recepit sanitatem. Regina quoque non cessabat regi prædicare, ut Deum verum coleret, et idola, quæ colebat, vana relinqueret: sed nullo modo animum ejus ad credendum poterat commovere, donec tandem aliquando bellum contra Alemannos Suevosque moveret, in quo compulsus est Deum confiteri, quem antea negaverat.

XXXIV. Factum est autem ^b bellantibus inter se Francis videlicet et Alemannis atque Suevis ut Clodovei exercitus nimis corrueret. Aurelianus consiliarius ejus intuens regem, ait: Domine mi rex, crede modo Deum cœli, quem domina mea regina prædicat, et dabit tibi ipse rex regnum et Deus cœli atque terræ victoriam. Ille vero elevatis in cœlum oculis commotus in lacrymas, ait: Jesu Christe, quem Clotildis regina mea prædicat esse Filium Dei vivi, qui subvenis in tribulatione, qui das auxilium in te sperantibus, tuum adjutorium devotus postulo: ut si mihi victoriam super hos hostes dederis, et expertus

^a Vide Aimon. de Reb. gest. Franc. lib. 1, c. 13; Gregor. Turon. de Gest. Franc. lib. II, c. 28, 29.

fuero virtutem illam quam de te populi prædicant, credam tibi, et in nomine tuo baptizabor. Invocavi enim deos meos, et, ut experior, elongati sunt ab auxilio meo. Unde credo eos nulla potestate esse præditos, qui sibi credentibus non succurrunt. Te Deum verum invoco, et in te credere desidero: tantum ut liberer ab adversariis meis. Cumque hoc orans clamaret, Alemanni in fugam versi, terga dederunt: et videntes regem suum interfectum, Clodovei potestati se subdunt, dicentes: Parce, precamur, domine rex, ne pereat plus populus; jam tui sumus. Tunc jussit rex imminentem plagam cessare, et Alemannos cepit; ipsosque ad terram eorum sub jugo tributario constituit. Sicque facta victoria, reversus est in Franciam ad reginam suam, et narravit ei, qualiter per invocationem nominis Jesu Christi victoriam meruit obtinere. Acta sunt hæc anno quinto decimo Clodoveo regnante.

XXXV. Tunc regina, ut impleretur dictum Apostoli: Salvatur vir infidelis per mulierem fidelem (I Cor. VII), vocavit sanctum Remigium urbis hujus Rhemensis antistitem, deprecans eum ut regi salutis viam prædicaret. Quem sanctus sacerdos per multam salutaris vitæ doctrinam ad baptismum venire prædicabat. Et ille ait: Libenter te audiam, beatissime Pater; sed unum restat, quia populus qui me sequitur, non vult deos suos relinquere. Vadam autem adhortari eos juxta verbum tuum. Et veniens rex ad populum, cœpit hortari eos, ut Deum, qui eis victoriam dederat, crederent, quoniam dii eorum in tribulatione sua nihil eis prodesse potuerunt. Acclamaverunt autem omnes, præcurrente misericordia et potentia Dei: Mortales deos relinquimus, gloriose rex, et verum Deum immortalem, quem Remigius prædicat credere parati sumus. Nuntiatum hoc sancto Remigio. Ille quoque gaudio magno repletus, regem et populum, qualiter diabolo, et operibus ac pompis ejus abrenuntiare et in Deum credere deberent, apertis et brevibus verbis instruxit. Et quia dies sancti Paschæ imminebat, jejunium secundum Christianorum consuetudinem eis indixit.

XXXVI. Die vero passionis Dominicæ, quem Parasceven usus ecclesiasticus vocat, pridie scilicet antequam baptismi gratiam rex et populus ejus percepturi erant, cum sanctus Remigius et venerabilis conjux regis Clotildis, pro regis et populi ejus salute in oratione pernoctaret, episcopus ante altare sanctæ Mariæ multas effundens lacrymas, et regina in oratorio sancti Petri, juxta domum regiam: expleta oratione, pontifex ad ostium regii cubiculi pulsaturus accessit: ut videlicet per alta silentia noctis aliis curis regi absoluto, liberius posset committere sacra mysteria verbi. Quem ostiis apertis cubicularii regis reverenter suscipiunt, et cum honore debito usque ad penetralia regis introducunt. Sed et rex alacriter ei obviam prosiluit, eumque amplexus, cum ipso et venerabili conjuge in oratorium beatissimi

^b Anno 499. Vid. Greg. Tur. de Gest. Franc. lib. II, c. 30. Flodoard. ibid.

Petri principis apostolorum, quod ut diximus, cubiculo regis contiguum erat, processit. Cumque illi tres, pontifex scilicet, et rex, atque regina, dispositis sedilibus consedisent, circumstantibus quibusdam clericis, qui cum pontifice venerant, et familiaribus regis atque reginæ, et sanctus præsul regem monitis instrueret salutaribus, ac evangelicis disciplinis imbueret: ad confirmandam veræ fidei prædicationem, per sanctum depromptam pontificem, etiam visibiliter ostendere Dominus voluit quod cunctis fidelibus promisit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Matth. xviii): repente namque lux tam copiosa, totam replevit ecclesiam, ut claritatem solis evinceret, et cum luce vox pariter audita: Pax vobis; ego sum. Nolite timere; manete in dilectione mea. Et post hæc verba lux, quæ advenerat, recessit, et incredibilis suavitatis odor in eadem domo remansit: ut patenter ostenderetur, illuc auctorem lucis et pacis atque suavitatis venisse. Quem nemo eorum, qui aderant, præter episcopum, propter fulgorem luminis timore percussi, intueri valuerint, tantaque claritatis gloria pontificem sanctum perfudit, ut splendor ex eo procedens, plus conspicuam domum, in qua sedebant, reddiderit, quam lucernorum lumina ibidem lucentia.

XXXVII. Rex itaque et regina pedibus sancti se prosternunt sacerdotis, et cum magno pavore ac gemitu consolationem ejus requirunt, et quid sibi ad utilitatem atque salutem pertinent esset agendum, cum magna expetunt devotione, parati audire, et opere complere quæ a sancto pontifice discerent. Nam lumen, quod eos exterius perfudit, etiam interiorius illuminavit, et ad quærendum salubre consilium incitavit. Delectabantur namque in verbis illis quæ audierant, licet exterriti essent de luminis claritate. At vero vir sanctus, sancta repletus sapientia, cœpit eos intruere, hanc esse visionis divinæ atque angelicæ consuetudinem, ut in adventu suo terreant corda mortalium, sed subsequenti consolatione demulceant præcedentem timorem: instruens eos ex auctoritate sanctarum Scripturarum, quomodo singulis, quibus apparuerant, et in primordio apparitionis incusserint videntibus se timorem, sed post per gratiam consolationis, gratissimam eorum cordibus præbuere lætitiæ hilaritatem. Cumque vir sanctus de talibus eos sufficienter instruxisset, prophetico repletus spiritu, cuncta quæ eis vel semini eorum eventura erant, prædixit: qualiter scilicet, successura eorum posteritas regnum esset nobilissime propagatura atque gubernatura, et sanctam Ecclesiam sublimatura, omnique Romana dignitate regnoque potitura, et victorias contra aliarum gentium incursus adeptura, nisi forte a bono degenerantes, viam veritatis reliquerint, et diversos vitiorum fuerint secuti anfractus: quibus negligi ecclesiastica solet disciplina, et quibus Deus offenditur: ac per hoc regna solent subverti, atque de gente in gentem transferri. Quod de Moyse scriptum legimus, quia splendida facta est

facies ejus, dum respiceret in eum Dominus (Exod. xxxiv): hoc et in beatum Remigium luce splendida illustratum, factum fuisse audivimus; quoniam sicut Moyses legislator populi veteris erat a Domino constitutus, ita et B. Remigius evangelicæ gratiæ lator populo, in proximo per fontem baptismatis innovando exstitit munere Christi electus.

XXXVIII. Interea eundi via ad baptisterium a domo regia præparatur, velis ac cortinis depictis ex utraque parte protenditur, et desuper adumbratur, plateæ sternuntur, ecclesiæ componitur baptisterium balsamo et cæteris odoramentis conspergitur: talemque gratiam Dominus subministrabat in populo, ut existimarent se paradisi odoribus refoveri. Sicque præcedentibus sacrosanctis Evangeliiis, et omnibus cum hymnis, et canticis spiritualibus atque litaniiis, sanctorumque nominibus acclamatis, sanctus pontifex manum tenens regis, a domo regia pergit ad baptisterium, subsequente regina et populo. Dum autem simul pergerent, rex interrogavit episcopum dicens: Patrone, est hoc regnum Dei, quod mihi promittis? Cui episcopus: Non est hoc, inquit, illud regnum, sed initium viæ, per quam venitur ad illud. Cum vero pervenissent ad baptisterium, clericus qui chrisma ferebat, a populo est interceptus, ut ad fontem venire nequiverit. Sanctificato autem fonte, nutu divino chrisma defuit. Et quia propter populi pressuram ulli non patebat egressus ecclesiæ, vel ingressus, sanctus pontifex oculis ac manibus protensis in cælum, cœpit tacite orare cum lacrymis. Et ecce subito columba nive candidior attulit in rostro ampullulam, chrismate sancto plenam, cujus odore mirifico super omnes odores, quos ante in baptisterio senserant, omnes qui aderant, inæstimabili suavitate repleti sunt. Accipiente autem sancto pontifice illam ampullulam, species columbæ disparuit. De quo chrismate fudit venerandus episcopus in frontem sacratum.

XXXIX. Viso autem rex tanto miraculo, abnegatis diaboli pompis et operibus ejus, petiit se a sancto pontifice baptizari. Procedit novus Constantinus ad lavacrum salutiferum, in quo delendi erant lepræ veteris morbi sordentesque antiquæ peccatorum maculæ diluendæ, divini muneris ohsequente beato Remigio, in quo apostolica doctrina, et virtutum gratia alter representari videbatur Silvester. Ingresso autem in fontem vitalem Clodoveo, sanctus episcopus dixit ore facundo: Mitis, depone colla, Sicamber: adora quod incendiisti, incende quod adorasti: præceptis salutaribus illum instituens humili devotione venerari ecclesias ad cultum religionis ædificatas, ut Deum adoraret in eis quas rigida profanitate incendere consueverat, et idola, quæ in asyis suis pro Deo adorare solebat, fidei ardore succensus, dejiciendo incendere. Cujus sapientia miranda est in brevitate sermonum, quibus discretionem ostendit inter illam adorationem et servitutem quam cultu divinitati debito, Deo soli, juxta præce-

ptum ipsius (*Deut. vi*), non autem ulli creaturæ exhibendam sanctæ Scripturæ lectione cognoscimus. Et sic post confessionem orthodoxæ fidei, ad interrogationem sancti pontificis secundum ecclesiasticum morem baptizatus est trina mersione in nomine sanctæ et individue Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti. Et susceptus ab ipso pontifice de sancto fonte perunctus est sacro chrismate, cum signo sanctæ crucis Domini nostri Jesu Christi. Baptizantur autem de exercitu ejus tria millia virorum, exceptis parvulis et mulieribus. Baptizantur sorores ejus Albofledis et Landehildis, et factum est gaudium magnum in illa die angelis sanctis in cælo, et hominibus devotis in terra. Multi denique Francorum exercitus, necdum ad fidem conversi, cum Raganario ultra Sommam fluvium aliquandiu degerunt, donec Christi gratia cooperante, gloriosis politus victoriis, eundem Raganarium, flagitiis turpitudinem inservientem, vinctum a Francis, sibi traditum rex Ludovicus occidit, et omnem Francorum populum per B. Remigium ad fidem converti et baptizari obtinuit.

XL. De miraculo siquidem, quod Dominus dignatus est ostendere per columbæ speciem, in allatione chrismatis, sicut et de aliis, rata est catholicorum Patrum sequenda sententia, qua dicitur: Divina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

XLI. Baptizatus autem rex cum gente integra, plurimæ possessiones per diversas provincias sancto Remigio, tam ipse quam Franci potentes dederunt: quos ipse per diversas ecclesias tradidit, ne Franci eum rerum temporalium cupidum esse, et ob id ad Christianitatem eos vocasse putarent, et fidem Christi ac sanctum sacerdotium vilipenderent.

XLII. De quibus rebus in orientalibus Franciæ partibus, petentibus traditoribus, portionem quamdam episcopo Rhemensi adjunxit; et de his quæ in Rhemensi provincia illi fuerunt traditæ, non modicam partem ecclesiæ sanctæ Mariæ in castro Lauduni clavati Rhemensis parochiæ, ubi nutritus fuerat tradidit: ibique Genebaldum (Genebaudum) virum carne nobilem, et tam in Scripturis sanctis, quam et in sæcularibus litteris eruditum, qui relicta conjugæ, nepte scilicet ipsius B. Remigii, vitam religiosam expetierat, episcopum ordinavit, et parochiam ipsius comitatus Laudunensis præfato castro subjecit. Qui Genebaldus plusquam necesse fuerat, de anteacta vita et gradus sublimitate confidens, cum debuerit cogitare, quia nec David sanctior, nec Salomone sapientior esset, qui mulierum delinimentis periclitati sunt; incaute suam uxorem, quam relinquens mutaverat in sororem, quasi pro instructione salutari, frequentius se visitare permisit, oblitus Scripturæ dicentis: *Lapides excavant aquæ, et alluvione terra consumitur, et rupes transfertur de loco suo (Job. xiv)*. Unde contigit, ut crebræ visitationes, et blanda ac frequentia mulieris colloquia,

A durum contra luxuriæ molliem cor episcopi emollirent, et quasi rupem saxeam de loco suæ sanctitatis ad luxuriæ inquinamenta transtulerint, et item contra Scripturam dicentem: *Quis alligabit ignem in sinu suo, et vestimenta ejus non comburentur? (Prov. vi)*. Admota igni palea, id est muliebris carnis materia, libidinis ignem suasionem diabolicam, quasi vento vehementi exagitante, ardor luxuriæ in flammam erupit. Et concumbente eo cum eadem, quondam uxore sua, mulier concepit: et post partum mandavit episcopo filium se peperisse. Genebaldus vero confusus et dolens, nuntio dixit: Quia latrocinio, ut lateret homines, quod Deum latere non potuit, in concubili absconso generatus est, recte vocabitur Latro. Sic ei nomen imponat. Et quia culpa hominibus non innotuit, ne suspicio inde procederet, si se a solita visitatione femina illa subtraheret, cœpit ut antea domum frequentare episcopi. Sicque factum est, ut recta hominibus culpa, et in cordibus tam episcopi quam feminæ tectus luauriæ ardor; quoniam, ut notum est, quo magis tegitur, tectus magis æstuat ignis: contra culpam compunctus episcopus, post fletum ad culpam rediit, et oblitus est quod planxerat, cum exstinguere noluit quod per desiderium ardebat. Iteravit peccatum quod egerat. Concepitque iterum mulier, et misso nuntio, mandavit episcopo se feminam peperisse: quam jussit nominari Vulpeculam. Quod, cur ita eam nominari voluerit, qui fraudes et significationes in Scripturis ipsius animalis cognoscit, quas ad dolos et versutias deceptoris diaboli, et ad carnis petulantis illecebras et anfractus retulit facile satis advertit. Tandem Domino qui beatum Petrum respexit, et negationem amarissime flevit (*Math. xxvi*), illum recipiente Genebaldus in se reversus ad sanctum Remigium misit petens ut Laudunum veniret; qua tales causæ ibi emergerant, quas per se diffinire non posset. Beatus autem Remigius, sicut Genebaldus petiit, Laudunum pervenit. Et susceptus cum debita reverentia, ac secreta cubiculi petens, Genebaldum interrogavit pro qua causa illum vocaverit. Genebaldus vero cum maximo fletu et ejulatu volens tollere stolam de collo suo, et procedere ad pedes sancti Remigii, cum magna virtute a beato Remigio est detentus, ne stolam de collo suo tolleret. Et postquam diutius ambo fleverunt (intellexerat enim B. Remigius Genebaldum admisisse crimen, pro quo stolam vellet deponere), vir singultibus et lacrymis Genebaldus per ordinem omnia retulit, quæ commiserat. Quem sanctus Remigius videns contritum et pene desperatum blande consolatus est dicens: Non tantum doleo de admissio a te crimine, quantum quod sic male sentis de Domini bonitate, cui secundum Evangelicam veritatem, non est impossibile omne verbum (*Luc. i*). Ipse de nihilo cuncta fecit, primumque parentem, in quo omnes peccaverunt, gratia salvum fecit; nullumque peccatorem ad se reversum despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit. Quatriduanum etiam

fortem Lazarum, lacrymis sororum, quæ significant sollicitas ac flebiles pœnitentium cogitationes, compatiendo, flevit et a mortuis suscitavit, suscitatum convivio suo admisit (*Joan. xi*). Mulieris etiam ipsius, quæ fuerat in civitate peccatrix, manibus iniquitate pollutis, sanctissimos pedes suos is, qui super angelorum omnium verticem ad Patris dexteram considet, attrectari non renuit (*Joan. xii*). Nunquam ulli quantiscunque vel qualibuscunque peccatis mortuo, seu mole ac scelerum enormitate sepulto, gratiam resurrectionis a peccatis denegat. Digne pœnitentem, atque sua peccata deflentem, per januam reconciliationis communioni altaris sacro sancti restituit.

XLIII. Et ut erat doctissimus et orator eloquentissimus, testimonia de latitudine sanctæ Scripturæ et exempla. Pœnitentium in unum colligens, ad animandum eum illi proposuit, et exhortato pœnitentiam indixit. Factaque mansiuncula cum lecto in modum sepulcri, et parvissimis fenestellis, ac oratorio, quæ hodieque manens secus ecclesiam sancti Juljani, Genebaldum in ea recluserat, et clerum ac parochiæ ipsius populum per septem annos, ut et propriam parochiam gubernavit, et unam diem Dominicam Rhemis, alteram apud Laudunum celebravit. In qua reclusionem pœnitentiæ, quantæ contritionis, et continentiæ idem Genebaldus fuerit, divina misericordia demonstravit.

XLIV. Septimo siquidem anno in vigilia cœnæ Domini, cum idem Genebaldus in oratione pernoctaret, et seipsum defleret, quoniam is, qui ad hoc ordinatus fuerat, ut in illa die pœnitentes Deo reconciliaret, ipse suis criminibus exigentibus, nec inter pœnitentes in ecclesia merebatur consistere : circa mediam noctem angelus Domini cum magna venit luce ad eum, in oratorium ubi pronus jacebat, et ait ad eum : Genebaldus, exauditæ sunt pro te orationes patris tui Remigii : suscepit quoque Dominus pœnitentiam tuam, et dimissum est peccatum tuum. Surge, et hinc egredere, facque ministerii episcopalis officium, et reconcilia Domino pœnitentes de criminibus suis. Genebaldus autem nimio terrore percussus, respondere nil potuit. Tunc angelus Domini confortans eum, et ne timeret hortatus est, sed gauderet in misericordia Domini sibi collata. Qui animatus dixit an angelum : Non possum hinc egredi, quia dominus et pater meus Remigius clavem hujus ostii secum habet, quod et sigillo suo signavit. Et angelus ad eum : Ut non dubites, inquit, me a Domino missum, sicut patet tibi cælum, sic et ostium istud patebit. Et statim salvo sigillo ac sera, ostium illud apertum est. Tunc Genebaldus in modum crucis se jactans in limine, dixit : Etiamsi ipse Dominus Jesus Christus dignatus fuerit ad me venire peccatorem, hinc non egrediar, donec ille venerit, qui me in ejus nomine in ista reclusionem constituit. Et statim angelus Domini discessit ab eo.

XLV. Beatus quoque Remigius in crypta quæ retro sedem erat ecclesiæ sanctæ Mariæ Rhemis,

pernoctabat in oratione, et quasi dormiens, in excessum est raptus. Et vidit angelum assistentem sibi, qui ei omnia sicut dicta et gesta fuerant, enarravit, et jussit quantocius Laudunum peteret, et Genebaldum sedi episcopali restitueret, et coram se ministerium episcopale agere persuaderet. Mox sanctus Remigius, nihil dubitans, cum summa celeritate Laudunum petiit, et in limine ostii, salvo sigillo et sera reserati, Genebaldum jacentem reperit : quem extensis brachiis cum gaudio et lacrymis laudans Domini misericordiam elevavit, eumque sedi et officio episcopali, veluti angelus Domini præceperat, restituere maturavit, et Rhemos cum gaudio repedavit. Genebaldus itaque in sanctitate et justitia postea omnes dies vitæ suæ gratia Dei peregit, prædicans cunctis, quanta illi fecerat Dominus.

XLVI. Ludovicus rex sedem suam in Suesionum civitate, unde Syagrium expulerat constituens, delectabatur præsentia et colloquio beati Remigii. Sed quia villas quas sibi rex et Franci in pagis, Suesonico videlicet et Laudunensi, dederunt, ut supra dictum est, episcopo Laudunensi, et aliis casis Dei donaverat, non habebat in vicinitate ipsius civitatis Suesionum, nisi unam villulam, quæ sancto Nicasio data fuerat. Unde suadente religiosissima regina, et petentibus locorum incolis, qui multiplicibus xeniis erant gravati, ut quod regi debebant ecclesiæ Rhemensis persolverent, rex sancto Remigio concessit, ut quantum circumiret, dum ipse meridie quiesceret, totum illi donaret. Sanctus autem Remigius per fines, quæ manifestissime patent, pergens, signa sui itineris misit. In quo fine quidam homo habens molendinum repulit sanctum Remigium, ne intra illos fines ipsum molendinum concluderet. Quem beatus Remigius blande alloquens, dixit : Amice, non sit tibi molestum, ut simul habeamus hoc molendinum ; ille autem rejecit eum. Et statim rota molendini verti in inversum cœpit. Idem autem homo clamavit post beatum Remigium, dicens : Serve Dei, veni, et habeamus simul hoc molendinum. Cui sanctus Remigius : Nec mihi, nec tibi. Et sic talis fossa in eodem loco devenit, ut ex tunc, et nunc usque in perpetuum molendinum ibi esse non potuerit. Et quia repulsus est a quibusdam hominibus, ne sylvulam quamdam intra terminos suos concluderet, dixit ut nec folium unquam de ipsa sylva intra terminos suos, cum esset contigua, evolaret, nec fustis versus illos terminos inde caderet. Quod et observatum est, quandiu illa sylva mansit. Abinde quoque procedens, venit ad villam, nomine Caviniacum. Quam concludere intra fines illos volens, ab hominibus ejusdem villæ rejectus est. Tunc ille hilari vultu modo rejectus, modo repropinquans, signa per suum iter misit, sicut loca demonstrant, per quæ rejectus, et per quæ propinquans perrexit. Tandem rejectus dixit illis : Semper laborate, et egestatem sustinete : sicut hodieque manentis sententiæ verborum illius

virtus ostendit. Surgente interea rege a somno meridiano, reversus est ad eum sanctus Remigius, et omnia quæ ambitus circumitionis illius continuit, ei præcepto suæ auctoritatis rex donavit: quæ usque hodie Rhemensis ecclesiæ, quarum rerum capita sunt Judiacus et Ociliacus [Codiciacus], jure quieto possidet.

XLVII. Legimus in sacra et antiqua historia, sanctum David montes Gelboe maledixisse, ut ne ros nec pluvia veniret super eos, neque essent agri primitiarum (*II Reg. 1*). Habemus sanctum Remigium ore prophetico maledixisse insensibilibus creaturis, ut possessores earum, sterilitatis damno in vindicta retributionis ferirentur.

XLVIII. Eulogius quidam vir præpotens, convictus apud regem Ludovicum de crimine regni majestatis, cum se purgare non posset, ad ecclesiam Sanctæ Mariæ, et ad intercessionem beati Remigii confugium fecit. Cui sanctus Remigius, et vitam et rerum suarum apud regem obtinuit possessionem. Idem autem recompensationis gratia sancto Remigio, Sparnacum villam suam in proprietatem dare voluit. Sanctus autem Remigius retributionem temporalem pro intercessionis suæ beneficio recipere noluit. Sed quoniam idem Eulogius verecundiæ confessione addictus, quia contra natales suos vita donari per alterius indulgentiam meruit, in sæculari habitu stare non voluit, sanctus Remigius ei dixit, ut si perfectus esse vellet, venderet omnia sua, et daret pauperibus et sequeretur Christum. Et sic de thesauro ecclesiastico taxatum pretium, quinque scilicet millia argenti libras, Eulogio dedit, et eandem villam in possessionem ecclesiæ comparavit: bonum exemplum omnibus episcopis tam suo tempore in carne viventibus, quam post eum in ordine succedentibus derelinquens; ut pauperibus ac viduis, aut pupillis, vel pro his, qui ad misericordiam Ecclesiæ confugiunt qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes, in exilio aut in insulis damnantur, aut certe quamcunque sententiam suscipiunt, juxta sacros canones subvenientes, vel quæcunque agentes bona, pro temporali retributione non faciant; sed juxta Dominicam vocem: *Gratis accepistis, gratis date*; quod Dei gratia, id est, gratis data acceperunt, gratis etiam, id est, sine retributione temporali (*Matth. xx*), proximis largiantur. Unde bene, cum virum justum describeret, propheta ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere* (*Isa. xxxiii*). Neque enim dixit munere tantum: sed adjunxit, ab omni; quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa: munus a manu pecunia: munus a lingua, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, vel quodcunque bonum, unde retributionem a Deo sibi in futuro sæculo reddi cupit, tunc ab omni munere manum excutit, quando in divinis rebus non solum ullam pecuniam, sed etiam gratiam non requirit.

XLIX. Partem etiam maximam silvæ in Vosago

A pretio comparavit, et mansioniles ibidem constituit, qui ab aquis, super quibus constituti sunt, Cossa et Gleni vocantur: hominesque in eisdem mansionilibus de vicina episcopi villa, quæ Berna dicitur, a Francis sibi data, manere disposuit, ut picem annuatim religiosi locis ecclesiæ Rhemensis administrarent: quibus et pensam dedit, quæ usque hodie ab incolis ipsorum locorum habetur, cum qua debitum suum exsolvunt. Ipsius quoque comparationis suæ fines per gyrum adeo exterminavit, ut et omnibus videntibus pateat ipsa exterminatio, et a progenie in progenies hactenus ipsæ exterminationes, ab eo factæ, nomine tenus vocitentur ac designentur. In quibus exterminationibus quodam loco in fuste cavo manu sua petram misit, quam omnes qui volunt manum in caverna, in qua petra posita est, ponere, possunt et ipsam petram volvere, et eam a caverna nullo ingenio valent extrahere. Post quædam vero tempora quidam invidens, quod multi ad laudem sancti Remigii hoc pro religione tenebant, manu ipsam petram de caverna extrahere voluit. Quod non valens, securi ipsum pertusum ampliare tentavit; et elevante eo securim, ut fustem percuteret, dextera manus illius exaruit, et oculorum lumen amisit: et qui formam sancti Remigii extinguere voluit, laudis venerationem adauxit. In hac sollicitudine, quam sanctus Remigius de pice locis religiosi Rhemensis ecclesiæ, suo vel successorum suorum tempore consulturus satagit, rectoribus ecclesiæ patenter ostendit, quia interiorum sollicitudinem non relinquentes, exteriorum providentiam non debent minuere, ne aut exterioribus dediti, ab intimis corruant, aut solis interioribus occupati, quæ foris debent, proximis non impendant. Sed sic sibi ad spiritualia vacent, ut exteriorum administrationem non relinquunt; nec cum curare corporalia jam funditus negligunt, subditorum necessitatibus minime concurrant: et si eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt, neque eos libenter audiant. Egentis etenim mentem doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facile germinat, quando in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Unde rectorem necesse est, ut interiora possit infundere cogitatione innoxia etiam exteriora providere. Hanc pastorum sollicitudinem Paulus excitat dicens: *Qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (*I Tim. v*). Quæ beati Remigii sollicitudo quantum Domino placuerit, miraculo ostenso in eo qui ejus bonis operibus invidebat, evidenter ostendit.

L. Ludovicus rex cum Dei benedictione per sanctum Remigium accepta, de victoria sibi ab eo prædicta securus, et in mandatis accipiens, ut tandiu ad dimicandum pergeret, quandiu illi benedictum vinum, sibi ab eo datum, in quotidiano usu potatum sufficeret: iter arripuit contra Gundebaldum et Godeglissum fratrem ejus, commoto exercitu maximo; et Burgundiones cum ingenti multitudine venerunt

contra eum super Oscharam fluvium secus castrum, quod Divion dicitur : ibique inter se atrociter confingentes, Gundebaldus ac Godeglissus cum Burgundionibus terga verterunt, et vix fuga lapsi evaserunt. Ludovico, ut solebat, existente victore, Gundebaldus se in Avenione reclusit, et per Aredium consiliarium suum pacem a Ludovico expetiit. Ludovicus vero, ablatis thesauris, cum præda maxima et Francorum exercitu ad propria est reversus. Et mittens legatum nomine Paternum, virum industrium, ad Alaricum regem Gothorum de amicitia inter eos conditione mandavit. Alaricus vero cum per Paternum vellet Ludovicum decipere, a Paterno exploratis quæ circa eum erant, et thesauris ejus ingenio subarratis, illusus est.

LI. In diebus illis, rex Ludovicus cum venisset Parisios, ubi sedem suam constituit, ait ad reginam et ad populum suum : Satis mihi molestum est quod Gothi Ariani partem optimam Galliarum tenent. Eamus cum Dei auxilio, et ejiciamus eos de terra ipsa nostrisque ditonibus, quia valde bona est, eam subjiciamus, habentes justitiam adversum Alaricum, ad quem pro amicitia conditione legatum direximus, per quem nos decipere voluit. Placuit hoc consilium proceribus Francorum. Tunc per consilium reginæ suæ fecit ecclesiam, in honore apostolorum Petri et Pauli in Parisiorum civitate, et per consilium beati Remigii in Aureliana civitate episcoporum synodum convocavit : in quo conventu multa utilia constituta fuere. Rex quoque devotissimus, pergens contra Alaricum Arianum, benedictionem petiit a sancto Remigio. Cui et benedictionem dedit, et victoriam in verbo Christi spondit : deditque illi plenum vas, quod vulgaris consuetudo flasconem appellat, de vino quod benedixit, sicut et fecerat, quando post baptismum, contra Gundebaldum perrexerat, præcipiens illi, ut tam longe ad bellum procederet, quando illi et suis, quibus inde dare vellet, illud vinum de prædicto flascone non deficeret. Bibit ergo inde rex, ac regalis familia et numerosa turba populi, et exinde uberrime saliantur : et vas vini detrimentum non patitur, sed benedictione Dei, per sanctum Remigium indita, more fontis inundatione repletur. Movit autem rex cunctum exercitum suum de populo Francorum, versus Pictavos civitatem : ibi enim tunc Alaricus rex Gothorum commorabatur, et sic per pagum Turonicum pergens, et reverentiam sancto Martino atque beato Hilario exhibens, sicut locis suis lector inveniet, cum Alarico rege Gothorum in campo Moglotinse [*Emil. habet in campis Vogladensibus*] super fluvium Glinno, milliario decimo ab urbe Pictavorum, bellum conseruit. Illisque inter se compugnantibus, Gothi cum rege suo nimis colliisi, terga verterunt. Ludovicus, sicut solebat, victor exstitit.

LII. Cumque Alaricus interficeret, duo Gothicum contis eum ex adverso in latere feriunt : sed propter lorica qua indutus erat, lædere nequiverunt. Magis autem lorica fidei indutum Dominus per oratio-

nem S. Remigii, patris et patroni sui, adjuvit eum. Patrata siquidem victoria, et multis civitatibus suæ conditioni subjugatis, usque Tolosam perrexit : et thesauros Alarici accipiens, per Engolismam civitatem, cujus muri ante conspectum ejus corruerunt, interfectis Gothis Arianis, qui ibi erant, cum gloriosa victoria de multis civitatibus ad propria rediit.

LIII. Per idem tempus ab Anastasio imperatore codicillos Ludovicus rex pro consulatu accepit. Cum quibus codicillis etiam illi Anastasius coronam auream cum gemmis et tunicam blatteam misit : et ab ea die consul et augustus est appellatus. Sed et Hormisda Romanæ sedis pontifex sancto Remigio, antiquæ metropolis episcopo, quæ tunc temporis habebat sub se duodecim civitates, et totidem episcopos eisdem præidentes, vices suas in regno Ludovici regis, nuper cum integra gente ad fidem conversi per sanctam ejus prædicationem, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis, commisit hoc modo :

LIV. Dilectissimo fratri Remigio Hormisda. Suscipientes plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, quibus nos Germanæ salutis tuæ lætificavit indicio corporali cum spiritualibus officiis incolumitas subnixa : congruum esse perspeximus, hanc ipsam, quam mente gerimus, verbis aperire lætitiâ. Agis enim summi documenta pontificis, dum et prædicanda facis, et ea insinuare non differs. Prærogativam igitur de nostri sumpsimus electione indicii, quando id operatum te esse didicimus, quod cæteris agendum obnoxius imperamus, ut in provinciis tanta longinquitate disjunctis, et apostolicæ sedis vigorem, et Patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti et spiritualis filii nostri Ludovici, quem nuper, adminiculante superna gratia, plurimis et apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis, prædicationem salutiferam comitantibus, cum gente integra convertisti, et sacri dono baptismatis consecrasti, salvis prævilegiis, quæ metropolitatis decrevit antiquitas, præsentis auctoritate committimus : augentes studii hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostros ejusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non egeas edoceri, a quo jam probavimus acutius universa servari : gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, et laboraturis injuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas et decreta sanctissimis definita conciliis, ab omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam et fraternæ monita exhortationis ostendimus. His ea, quanta dignum est, reverentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ observationis obstaculum. Ibi fas, nefasque præscriptum est : ibi prohibitum ad quod nullus audeat aspirare : ibi concessum quod debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties univeraale poscit religionis causa concilium, te cuncti fratres evocante conveniant : et si quos eorum specialis negotio pulsat intentio, jurgia inter eos oborta compesce : discussa sacra

lege determinando certamina. Quidquid autem illic pro fide et veritate constitutum, ut provida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ auctoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestazione perveniat. Eo fit, ut et noster animus officii charitate dati et tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater charissime.

LV. Hujus sancti Hormisdæ pontificatus tempore, sæpofatus Ludovicus rex gloriosus coronam auream cum gemmis, quæ regnum appellari solet, B. Petro, sancto Remigio suggerente, direxit. Hic beatus Hormisdæ papa misit Constantinopolim ad Justinum imperatorem in legatione Germanum Capuanum episcopum, cujus animam vidit ab angelis in cælum deferri sanctus Benedictus, qui pro curatione puellæ dæmonicæ ad beatum Remigium litteras suas direxit,

LVI. Post hæc omnia mortuus est Ludovicus rex in pace, et sepultus est in basilica Sancti Petri apostoli quam ipse et regina sua ædificaverunt. Mortuus est autem anno quinto, postquam cum Alarico rege Gothorum pugnavit. Regnavit quoque simul annis triginta. Et eodem momento quo mortuus est Ludovicus Parisiis revelante Spiritu sancto, beatus Remigius cum esset Rhemis, defunctum fuisse cognovit, et sibi assistentibus indicavit. His ita gestis filius Clodomiri, filii Lodovici regis nomine Clodoaldus, interfectis fratribus suis, quos una cum eo post patris obitum Clotildis regina nutriebat, in clericum se totondit, et processu temporis, vitæ ac religionis suæ merito patrem hæreditatis a patruis regibus obtinuit: de qua Duziacum villam in manu Mosomagensi cum appendiciis suis sancto Remigio, et Rhemensi ecclesiæ tradidit, et villam Riviliacum in pago Biturico sancto Dionysio delegavit. Villam quoque Noviantum in pago Parisiaco, cum omnibus ad se pertinentibus, matri ecclesiæ Parisiensis civitatis, ubi presbyter exstitit ordinatus, donavit. In qua villa, plenus virtutibus, migrans ad Dominum, in ecclesia, quam ipse ædificaverat, corpore fuit in pace sepultus.

LVII. Cum episcopi demum Galliæ ac Belgicæ provinciarum, causa fidei ad synodum convenerunt, beatum Remigium undecumque doctissimum, et in Scripturis sanctis eruditissimum, ac in ecclesiasticis dogmatibus exercitatum, ad idem concilium venire petierunt. Cui synodo Arianus quidem hæreticus, acerrimus disputator et dialecticis propositionibus ac conclusionibus confisus, et inde nimis elatus, intererat. Ingrediente autem sancto Remigio episcoporum concilium, a multitudine fratrum expectantium, assurgentibus omnibus, reverenter sicut angelus Dei suscipitur. Superbus autem hæreticus, et male de viro Dei sentiens dedignatus est ei assurgere. Qui protinus cum sanctus ante eum transiit ita obmutuit, ut nec verbum quidem ullum effari potuerit. Expectantibus autem omnibus, ut post allocutionem sancti Remigii hæreticus ille aliquid diceret, nihil potuit loqui. Sed ad vestigia sancti

A Remigii pronus cadens, nutibus veniam petiit. Cui sanctus Remigius dixit: In nomine Domini nostri Jesu Christi, veri Filii Dei vivi, si ita de eo recte sentis, loquere, et de illo, sicut catholica credit Ecclesia, crede et confitere. Ad cujus vocem ante superbus hæreticus, humilis jam et catholicus, catholicam fidem de sancta et inseparabili Trinitate, et de Christi incarnatione catholice confessus est, et in eadem confessionis suæ fide se permansurum professus est. Sicque anima per infidelitatem perditæ, et corporali voce propter superbiam condemnatæ, virtute divina sanctus Remigius et animæ et corporis reddidit sanitatem: cunctis, qui aderant, seu hoc audituri erant, sacerdotibus patenter ostendens, de male sentiendo peccante in Christum, qui per humanitatem proximus, et frater nobis fieri dignatus est, quomodo ergo peccantes in se, vel in Ecclesiam, atque rebelles, et erga post recognoscentes et penitentes debeant agere.

LVIII. Senescente autem sancto Remigio, et Dei spiritu sibi revelante, quoniam abundantiam ipsius anni secutura esset fames secuti sancti Joseph providentiam, de annona, quæ in villis episcopi nata fuerat, vel quam ab aliis comparaverat, acervos, quos metas dicimus, fecit, ut populo fame postmodum laboraturo, inde subvenire valeret. Unde et in villa, quæ Celtus dicitur, plures metas fieri jussit. Ipsi autem homines Celtenses semper rebelles et seditiosi fuerunt. Qui quadam die Dominica inebriati, cœperunt inter se dicere: Quid ille Jubilæus (sic enim appellatur propter ætatis prolixitatem sanctus Remigius) (facere vellet de illis metis quas congregaverat? an civitatem inde facere vellet? quia sicut turrets per muros civitatis, ita per circuitum cortis, metæ habebantur. Ei suadente diabolo, se mutuo adhortati sunt ut focum in eas mitterent. Quod cum sancto Remigio in propinqua villa, quæ Basilicæ cortis dicitur, consistenti, celeri nuntio est delatum, ascendit equum, ut ad tantam præsumptionem compescendum ad Celtum veniret. Quo cum pervenit, jam ipsæ metæ ardebant. Beatus autem Remigius et ætate et vespertino frigore, sicut in autumnis solet fieri, frigidus, de equo descendit, et a longe se calefacere cœpit, tranquillo corde et ore dicens: Semper bonus est focussis non super potest. Verumtamen omnes, qui hoc egerunt, et qui de eorum germine nati fuerint, viri ponderosi fiant, et femine gutturosæ sint. Quod ita completum est, Nam usque ad tempora Caroli Magni imperatoris, qui eosdem homines de Celto, quoniam Vicedominum in eadem villa morte erudelissima occiderunt, exterminavit, et auctoribus interfectis, consentientes per diversas provincias dispergi atque perpetuo exilio condemnari fecit, et de cæteris villis episcopi Rhemensis eandem villam restaurari præcepit: ita viri et femine multati permanserunt, sicut sancti viri sententia promulgavit. Quosdam etiam de eorum progenie, qui tunc fuga lapsi, cum alii dispergebantur, remanserunt, et ad eandem villam redierunt, nos

hanc vindictæ austinentes sententiam vidimus, sicut et Giezi, cum domo sua maledictione Elisei, lepra multatus est (*IV Reg. 1*).

LIX. Apte quidem sententia viri Dei, spiritu ejus repleti, quo sicut præsentis vidit, ita posteros eorum rebelles ac seditiosos prævidit: vindictam hujusmodi præsumptores non solum in se, verum et in genere contraxerunt: ut sicut peccato primi parentis, per traducem seminis, cuncti ex eo geniti peccatum ejus, et mortem corporis pro peccato illatam traxerunt, ita et genitalibus eorum præsumptorum generati, vindictam illatam generantibus sustinerent. Et quia in femineo sexu non erat, ubi vindicta similis in membris similibus monstraretur: sicut per guttur primæ matris gustus illicitus transiens, ad prævaricatricis sobolem derivavit culpam, sic et ad genitas de hac stirpe propagaretur, ignominiosa hæreditas: veluti per Moysen Domino dicitur: *Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus* (*Exod. xxxiv*).

LX. Post præmissas autem et alias multas virtutes, quas Dominus per hunc sanctum suum operari dignatus est, gemitus et suspiria illius exaudiens, quibus dicebat: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (*Psal. xli*); et: *Satiabor, dum manifestabitur gloria tua* (*Psal. xvi*); revelavit ei Dominus, consolans eum, imminere diem obitus sui: Qua de re, secundum sacros canones testamentum rerum suarum condidit, ad hæreditatem illam festinans, de qua Propheta dicit: *Cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini* (*Psal. cxxvi*). Omnis qui dormit in morte, perdit hæreditatem. Sed cum dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini, quia electi Dei postquam pervenerint ad mortem, tunc inveniunt hæreditatem. Sic sanctus Remigius terrenam derelinquens hæreditatem, accepit æternam, quia oliva fructifera per lucida misericordiæ opera exstitit in domo, videlicet Ecclesia Dei. Unde speravit jure in misericordia Dei sui, veraciter dicens: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal. xli*); quia sicut corpus satiatur pane, ita de lacrymis reficitur anima, quoniam exinde sperat remissionem peccatorum habere. Dies vero et nox, pro sæculi diversitate ponuntur: quia sive in prosperis rebus, sive in adversis, desiderii sui lacrymas Deum desiderans anima fundit, sciens scriptum: *Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris* (*Psal. cxvi*). Ante lucem quippe surgere est, priusquam claritas æternæ lucis et retributionis appareat, in præsentis vitæ nocte gaudere. Sedendum prius est, ut post recte surgamus; quia quisquis nunc se sponte humiliat, hunc sequens gloria exaltat. Manducat autem panem doloris, qui gemit in hac peregrinatione, et cælesti

* Moritur quo autem anno et quanto tempore sederit, vide Baron. an. 511 ubi erroris arguit Hincmarum, quod septuaginta quatuor annos episcopatus S. Remigii constituat, eumque convincit

desiderio ad æternam anhelat patriam. Condito siquidem testamento, et dispositis omnibus, quia ut scriptum est, verus agricola, omnem vitis veræ palmitem fructum ferentem purgat, ut fructum plus afferat (*Joan. xv*): oculorum corporalium lumine aliquandiu est privatus, quatenus mentis oculis intentius quæ superna sunt, ad quæ toto desiderio anhelabat, contemplari valeret. Studebat autem in suæ probationis tentatione semper gratias agere, hymnis Dei et laudibus diebus ac noctibus vacans, ac fideli mente intelligens, quoniam qui humiliter flagella suscipiunt, post flagella sublimiter ad requiem suscipiuntur. Quod et in eo Dominus in præsentem volens ostendere, quasi pignus æternæ lucis antequam decederet, visum ei restituit: unde, sicut et de amissione luminis, nomen Domini benedixit. Et non post longum spatium sciens adesse diem sui transitus, per missarum celebrationem, ac sacre communionis largitionem, valesciens et dans pacem filiis suis, postquam per viginti et duos annos in clericali ordine, in episcopatu vero [74] septuaginta et quatuor continentissime ac religiosissime fidelis servus et prudens Domino ministravit, nonagesimo sexto ætatis suæ anno, Idibus Januarii, sancti certaminis cursu consummato, fide servata, cum multiplici bonorum operum fructu et animarum lucro, ut diu desideravit, anima cælos penetrans, terræ corpus reddidit; accipiens stolam albam, animæ scilicet beatitudinem sempiternam, donec in resurrectione alteram accipiat stolam, beatam, videlicet una cum anima resumpta glorificandi corporis immortalitatem.

LXI. Beatus igitur athleta Dei, confessor officio martyr quoque studio, invictus certamine palmam, quærens sanguine. Quem quia diu contigit in corpore vivere, necesse fuit etiam longiora carnis et diaboli, et pravorum hominum tormenta tolerare. Quia enim adjuvante se Domino, virtutem patientiæ fortiter servare contendit, et in pace Ecclesiæ vixit, et tamen martyrii palmam tenuit. Consummato ergo feliciter cursu, ad sanctorum apostolorum ac martyrum consortium confessor Domini pretiosus Remigius post mortem corporis gloriose pervenit, sicut attestatur apostolica illi gratia collata, gens videlicet Francica, ad fidem Christi per eum conversa, et baptismi gratia consecrata: martyrii palma, longanimitas patientiæ in longævitate ipsius vitæ: confessoris gloriæ, orthodoxæ fidei prædicatio, et virtutum tam in vita ipsius corporis, quam et post obitum præclara ostensio.

LXII. Cæterum cum funus sanctissimum deferretur ad sepulturam versus ecclesiam sanctorum martyrum Timothei et Appollinaris, secus ecclesiam sancti Christophori martyris, in loco ubi ex tunc et nunc crux est posita, et ubi multa miracula Deus

ex Actis concilii Arvernensis, quod celebratum est anno 541. ubi nono loco subscriptus recensetur Flavius Rhemensis episcopus, quem adhuc antecessit Romanus primus sancti Remigii successor.

postea pro sancto Remigio ostendit : ita feretrum est aggravatum, ut nullo modo quocunque ingenio, vel a quantiscunque hominibus posset moveri. Et stupentibus omnibus, et petentibus Dei omnipotentiam, vel dignaretur ostendere, in quo loco ejusdem sancti sui corpus vellet reponi, designaverunt ad basilicam præfatorum martyrum, et feretrum moveri non potuit. Proposuerunt ut ferretur ad ecclesiam sancti Nicasii, et moveri non potuit. Proposuerunt, ut ferretur ad ecclesiam sanctorum Sixti et Sinicii, et nec sic moveri potuit : tandem coacti, quoniam parva ecclesiola erat, in honore beati martyris Christophori, sed nullum corpus nominati sancti in ea jacebat, et in qua eique circumjacentibus atriis ex antiquo erat cæmeterium Rhemensis ecclesiæ : petierunt ut Dominus declararet si in eadem ecclesia vellet illud corpus sanctissimum poni. Et sic tanta facilitate motum est feretrum, ut nullum onus portantes sentirent : sepultum est autem illud venerabile corpus in eadem ecclesiola, ubi altare est in honore sanctæ Genovefæ, quæ familiarissima exstitit beato Remigio. Quod manifestum est actum fuisse divina dispositione, atque ipsius voluntate, ut sicut res, suo nomine acquisitæ, juxta sacras leges episcopo ecclesiæ Rhemensis erant unitæ ; ita et quæ ipsius meritis erant de cætero acquirendæ Rhemensi Ecclesiæ, in cujus jaceret territorio unirentur.

LXIII. Post cujus obitum cum lues inguinaria populum primæ Germaniæ devastaret, et omnes Rhemensis provinciæ incolæ hujus cladis terrentur auditu, concurrunt Rhemensium populus ad sancti sepulcrum, congruum hujus causæ flagitare remedium*. Accensis quoque cereis, lychnisque non paucis, hymnis psalmisque cœlestibus per totam excubat noctem. Mane autem facto, quid adhuc precatui desit, in tractatu rimatur. Repererunt etenim, revelante Deo, qui sanctum suum mirificari voluit apud homines, quem apud se mirificum habebat, qualiter oratione præmissa, adhuc majori propugnaculo urbis propugnacula munirentur. Assumpta igitur palla de beati sepulcro, componunt eam in modum feretri ; accensisque super cruces cereis atque super ceroferariis, dant voces in canticis, circumeunt urbem cum vicis, nec prætereunt ullum hospitium, quod non hac circumitione concludant. Quid plura ? Non post multos dies, fines hujus civitatis Rhemensis lues aggreditur memorata. Vetuntamen usque ad eum locum accedens, quo beati pignus accessit, ac si constitutum cerneret terminum, intro ingredi ullo modo non est ausa : sed etiam quæ in principio pervaserat, hujus virtutis repulso reliquit. Qui beatissimus pontifex, et in vita corporis, et post obitum, sicut infirmis sanitatum gratiam reddidit, sic et in pervasores sæpissime ultor exstitit.

LXIV. Erat enim haud procul a basilica campus tellure fecundus (tales enim incolæ oleas vocant), et hic datus sancti basilicæ fuerat. Quem unus e civibus

A pervadit, despiciens hominem, qui eum sancto loco contulerat. Qui cum ab episcopo ac loci præposito crebro conventus fuisset, ut quæ injuste pervaserat, redderet ; parvipendens verba, quæ audiebat, pertinaci direpta defensabat intentione. Denique causa exstitit, et non devotio, ut properaret ad sancti basilicam. Arguitur iterum a loci proposito pro pervasione campi, sed nihil dignum ratione respondit. Explicitisque negotiis, ascenso equo, ad domum redire disponit : sed obstat nisui ejus sacerdotis injuria. Nam sauciatus a sanguine, diruit in terram, Obligatur lingua, quæ locuta fuerat campum tollere : clauduntur oculi, qui concupierant : manus contrahuntur, quæ rapuerant.

LXV. Tunc balbutiens, et vix sermonem explicare valens, ait : Deferte me ad basilicam sancti, et quantumcunque super me auri est, ad sepulcrum ejus projicite : peccavi enim, auferendo res ejus. Aspiens autem dator campi hunc cum muneribus deferri, ait : Ne accipias, quæso, sancte Dei, munera ejus, quæ nunquam cupide accipere consuevisti. Ne sis, deprecor, adjutor ejus, qui inflammante concupiscentia, rerum tnarum nequam possessor exstitit. Nec distulit sanctus audire vocem pauperis sui. Nam homo ille licet jussisset dari munera, ostendit sanctus Domini se illa non acceptasse. Unde rediens pervasor domum, amisit spiritum, recepitque Ecclesia res suas.

LXVI. Sepulto siquidem, ut prædiximus, corpore beati Remigii in ecclesia sancti Christophori, cum multa et stupenda miracula in eadem ecclesia per merita ejus, Domini gratia fierent, ampliata et exaltata est ipsa ecclesia. Et facta crypta retro altare, in quam transferretur corpus sanctissimum, effossum est de loco in quo erat, ut in fossam factam in memorata crypta deponeretur, sed nullo modo moveri potuit. Superveniente autem nocte, et pernoctantibus fratribus in hymnis et canticis, multis accensis luminaribus, circa mediam noctem sopor in omnes irruit. Et evigilantibus eis, Calendis Octobris cum sanctissimo corpore sepulcrum inventum est, angelicis manibus positum, in fossa cryptæ, retro altare factæ. Tantaque evigilantes odoris suavitate repleti sunt omnes qui adfuerant, ut humana lingua hoc effari non valeat : et sic per totam diem et in crastinum ipse odor in eadem ecclesia perseveraverit. Ipsaque die translationis ejus, cum divinis laudibus sumpta sunt reliquia a corpore illius, de capillis videlicet ejus, et casula, ac tunica ipsius ; et involutum est corpus illius integrum, sed exsiccatum de brandeo rubeo.

LXVII. Processu denique temporis Pippinus rex, Caroli Magni pater, volens episcopii Laudunensis villam, quæ Anisiacus dicitur, accipere quasi sub censu, sicut et alias quasdam fecerat, venit in ea manere. Ubi cum dormiret, venit ad eum sanctus Remigius, dicens : Tu quid hic facis ? Quare intrasti

* Vide Greg. Turon. de Glor. confess., c. 79, Bar., an. 565.

in hanc villam quam mihi te devotior homo dedit, quamque ego ecclesie dominæ meæ sanctæ Dei Genitricis donavi? Et flagellavit eum satis duriter, ita ut livores postea in corpore ejus parerent. Et cum disparuit beatus Remigius, Pippinus surrexit, ac valida correptus febre, quantocius ab ipsa villa recessit. De qua febre non parvo tempore laboravit. Et deinceps princeps regni, usque ad moderna tempora, ibi non mansit, sicut nec in Codiciano vel Juliano, nisi Ludovicus rex Germaniæ, quando super fratrem suum Carolum regnum ejus invasit, in Juliano mansit, et in die crastina, turpiter ante ipsum fratrem fugiens vix evasit.

LXVIII. Nostra ætate colonus quidam villæ Rhemensis episcopii, quæ plumbea Fontana dicitur, manebat juxta fiscum regium, qui Rosetus vocatur, et nec peculium, nec messem, vel pratum propter fiscalinorum infestationem quiete habere valebat. Unde sæpe justitiam apud regios ministeriales petiit, quam obtinere non potuit. Tandem invenit sibi salubre consilium. Nam coxit panes et carnes, et accepit cervisiam in vasculis, prout potuit. Quæ omnia in vase, quod vulgo benna dicitur, collocavit, et carro superposuit: sicque junctis bobus, candelam in manu habens, ad basilicam sancti Remigii properavit. Quo perveniens, de pane et carne ac cervisia matricularios pavit, candelam ad sepulcrum sancti posuit, et ejus auxilium contra opprimentes se fiscalinos expetiit. Pulverum quoque de pavimento ecclesie, quantum valuit, collegit, et in panno ligavit, et in prædictam bennam misit, et desuper linteum, sicut supra corpus mortui affectari solet, composuit, et cum earro suo ad propria remeavit. Quicumque autem de obviantibus eum interrogabant, quid in illo carro duceret, respondit se sanctum Remigium ducere. Et admirabantur omnes in dicto et facto illius, putantes illum esse amentem. Perveniens autem cum eodem carro in pratum suum, in eo pastores pascentes diversi generis animalia de fisco Roseto invenit: et invocato sancto Remigio, ut eum contra oppressores suos adjuvaret, cœperunt boves et vaccæ cum maximis mugitibus invicem se cornibus impetere; hirci hircos, capræ capras cornibus impugnare; porci cum porcis conflagere; verveces cum vervecibus se collidere, pastores se fustibus et pugnis mutuo percutere. Et levato maximo turbine pastores, ejulantes animalia secundum genus suos cum maximo sonitu et strepitu ita cœperunt versus Rosetum fugere, ac si maxima multitudo insequentium eos cum flagellis persequeretur. Quod videntes et audientes fiscalini, nimio terrore perculsi, non putaverunt se vel una hora vivere posse. Unde correcti a præsumptione sua, ab afflictione pauperis sancti Remigii adeo cessaverunt ut postmodum idem pauper homo pacifice et sine inquietudine possideret sua. Et quoniam juxta fluvium Saram in loco lutoso manebat, maximam molestiam in suis habitaculis a serpentibus sustinebat. Qui accipiens pulverem quem de pavimento ecclesie sancti Remigii

colligens secum detulit, per sua habitacula sparsit, et postea serpens eis in locis, in quibus pulvis sparsus fuerat, non apparuit. Quibus ostensis miraculis, certo indicio colligere possumus, quia si non hæsitantes in fide, in tribulationibus nostris auxilium sancti Remigii ex corde petierimus, et ab angelorum Satane, qui in serpente matrem humani generis allocutus deceperat (*Gen. III*), infestationibus, et a pravorum hominum improbitatibus, ejus meritis et intercessionibus liberabimur.

LXIX. Tempore Ludovici imperatoris, duo fratres Franci forestarii ejus, invaserunt partem de silva, quam in saltu Vosagi, ut supra ostendimus, sanctus Remigius in vita sua pretio comparaverat, intra fines, dicentes quod plus pertineret silva illa ad fiscum imperatoris, quam ad partem sancti Remigii. Contradicientibus autem hominibus de potestate Rhemensis ecclesie unus eorum altercando venit ad porcos suos, quos in eandem silvam ad pastionem miserat, inter quos lupum invenit. Quem ascendens equum, velociter est insecutus. Et volens eum percutere, equo expavescente collisit caput ad unum fustem de ipsa silva, ita ut cerebrum illius in terram defluerit: et mortuus est. Frater vero ejus concite pergens in partem alteram, pervenit ad quamdam petram, et dixit: Omnibus notum sit, quia usque ad hanc petram est ista silva imperatoris. Et cum percuteret eandem petram dolatoria quam in manu portabat, exsilierunt ab illa particula in oculis ejus, et excæcatus est. Sicque ambo receperunt mercedem præsumptionis et mendacii sui.

LXX. Quidam vir nobilis de territorio Nivernensi, obtentis reliquiis B. Remigii, oratorium in ejus honore in proprietate sua ædificavit: ubi Dominus multas virtutes per merita ipsius sancti sui ostendit. Cum autem defuncto Ludovico imperatore, Aquitani gentilitia mobilitate absque jugo principis, prout quisque poterat, se efferre, et ad invicem pugnare, ac per contiguos pagos debacharri cœperunt, pauperes homines substantiolas suas in ecclesiis reponere studuerunt. Unde confusi opinione virtutum, quæ ibi fiebant, ad salvandum sua in eodem oratorio quique poterant, certatim reposuerant. Audientes autem prædones idem oratorium multis plurimorum opibus refertum aggressi sunt eas deripere. Quorum unus obscuratum ostium pede percussit, ut seram effringeret, et mox eidem ostio pes ejus adhæsit, et resupinus præsumptor in terram cecidit. Quod videntes alii, aufugerunt. Ipse autem miser cruciatus cogente, cum maximo ejulatu cœpit culpam suam fateri, et cum lacrymis amarissimis profiteri quod si Deus per merita S. Remigii pedem illius ab ipso compede solveret, nunquam ulterius de ipsa vel de alia ecclesia quidquam tolleret, vel tolli, quantum in ipso esset, ullo modo consentiret. Caballum quoque suum cum sella et alia quæ potuit, ad eandem ecclesiam donavit: sicque post confessionem et lacrymas atque professionem et votum, pes ejus ab ostio, cui inhæserat, est solutus. Verumtamen postea de ipso

arido pede claudus remansit, usque dum computrescente crure ac femore post diuturnum laborem mortuus fuit.

LXXI. Quando tres fratres reges, Clotarius, Ludovicus et Carolus, regnum post patris sui obitum inter se diviserunt, episcopium Rhemense, quod tenebat Folco presbyter, Carolus inter homines suos divisit, villam Juliacam Richuvino in beneficium dedit. Cum autem uxor illius, nomine Berta, in cubiculo villæ ipsius jaceret, venit ad eam sanctus Remigius, dicens: Non est iste locus tuus ad jacendum. Alterius meriti et officii debet esse, qui hanc villam habere et in hoc cubiculo jacere debet. Surge quantocius, et hinc abscede. Quod illa parvipendit, putans se visum inane videre. Altera vice venit ad eam sanctus Remigius, et dixit ei: Cur hinc non abscessisti, sicut tibi præcepi? Vide ne amplius te hic inveniam. Quod illa, ut prius, pro nihilo duxit. Tertio ut venit ad eam sanctus Remigius, dixit: Nonne jam semel et secundo tibi præcepi, ut hinc absunderes. Sed quia contempsisti hinc pergere, aliorum deportatione abscedes. Et percussit illam virga, quam tenebat in manu. Quæ, toto corpore in maximum tumorem converso, quod vidit, viro suo Richuvino et aliis quamplurimis dixit, et per aliquantos dies severissime cruciata, vitam finivit. Cujus corpus viro eius in ecclesiam sancti Remigii deportari, eamque ibidem sepeliri fecit. Mirantur quidam, quod cum vindicta mortali illam de prædicta villa expulit, et corpus ejus in ecclesia sua sepeliendum recepit: quod nemo mirabitur, si perpenderit qua intentione sancti vindictas in delinquentes exerunt; videlicet ut si se recognoverint, hic recipiant quod merentur, ne post mortem æternis suppliciis crucientur, sicut in libro Regum legimus de propheta illo, qui inobediens ori Domini exstitit, et a leone percussus interiit; et post ultionem perceptam, a leone corpus illius intactum permansit (*III Reg. xlii*): si autem hi se non correxerint, in quos vindictæ procedunt, ut alii de flagellis eorum emendentur, et metuentes corrigantur, sicut scriptum est: *Mulctato pestilente, sapientior erit parvulus (Prov. xxi)*. Causantur etiam aliqui, quoniam sanctus Remigius nunc in rerum suarum invasores, et familiæ suæ oppressores non vindicat, sicut præcedentibus temporibus egerat, usurpantes psalmi versum: *Signa, inquit, non videmus, jam non est propheta, et nos non cognoscat amplius (Psal. lxxiii)*. Sed non hinc causandum, verum dolendum atque timendum est, quia impletur nostris, quod prædictum est antiquis temporibus. Scriptum est enim in Apocalypsi: *Factus est sol ut saccus cilicinus (Apoc. vi)*. In extremo quippe nostro tempore sol quasi cilicinus saccus ostenditur: quia fulgens vita prædicantium, ante reprobatorum oculos aspera et despecta probatur, et sanctorum miracula per contemptum peccantibus, justo iudicio subtrahuntur, sicut scriptum est: *Nequando convertantur, et*

A sanem eos (Isa. xli); quatenus plenius obruantur suppliciis, qui nunc gaudent etiam in delictis. Verum tamen hic sanctus imitator Domini sui, qui non omnia vindicat, ut ejus ostendatur patientia: nec omnia inulta dimittit, ut ejus probetur providentia: licet non tam frequenter exerat in perniciosos vindictam, non usquequaque inulta nostris temporibus deserit præsumptorum piacula.

LXXII. Nam Blithgarius quidam* nuper mansum de thesauro ecclesiæ in villa Tenoilo pretio apud Bernardum custodem obtinuit, unde famulos sancti Remigii cum flagellis ejecit. Conclamantibus autem eis sanctum Remigium, ut eos adjuvaret, idem Blithgarius cum irrisione illis respondit: Modo parebit qualiter vos sanctus Remigius adjuvabit. Videte quomodo in adiutorium vestrum venit. Et inter hæc verba cum maximo clamore ingemuit, et incredibiliter inflando intumuit, sicque medius crepuit, et mortuus est. Quibus auditis, divinam in nobis vindictam pertimescentes, blasphemiam in Deum et sanctos ejus magnopere caveamus, studentes ne ecclesiasticam familiam crudeliter tractemus, et ne contra mala proximi, pertrahamur ad retributionem mali vel ad livorem odii: ne per testamenta diaboli, ad delectationem vel consensum peccandi: ne contra flagella summi opificis, prouamus in excessum murmurationis. Licet enim non fiant nobis tam frequentia ac reverenda per hunc servum suum miracula, tamen certi esse debemus, quia non subtrahit civitati suæ ac nobis civibus suis continua intercessionis suæ auxilia, sicut de Jeremia legimus: *Hic est, inquit, fratrum amator, et populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate Jerusalem (II Mach. xv)*.

LXXIII. Anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo secundo, nuper adhuc ampliata ipsa ecclesia, cum de loco cryptæ prioris sepulcrum una cum beati Remigii corpore translatum est in cryptam, majori et pulchriori opere factam, ipsum corpus sanctissimum, sicut et in anteriori translatione, ab episcopis Rhemorum dioceseos integrum inventum est, et brandeo rubeo involutum. Et cum de ipso sepulcro in locello argenteo est transpositum, pars de ipso brandeo cum sudario quod fuerat super caput ejus, assumpta in scriniolo eburneo, secus altare sanctæ Mariæ in civitate honore debito veneratur. Locellus autem argenteus, cum corpore ipsius sancti, sepulcro marmoreo, in quo ante jacuerat, superpositus fuit, et reliquiæ, quæ ad caput illius extra sepulcrum repertæ fuerant, in sepulcro, in quo jacuerat, a præfatis episcopis fuerunt positæ Kal. Octob. quo Kalendarum die et altera ejus translatio ante plures annos fuerat celebrata. Cum autem sanctissimum corpus ejus de sepulcro in prædictum locellum argenteum translatum fuit, Rado tunc subdiaconus Ecclesiæ Suessionicæ, qui cum episcopo suo Rothado illuc convenerat, jam per

* Contigisse hoc tempore Hincmari præsulis Vitæ hujus scriptoris refert. Flod. loc. cit.

annum integrum, dolore dentium, adeo die noctuque vexabatur, ut sensum præ nimio dolore metueret perdere. Qui dum episcopi in compositione sancti corporis intenderent, maxillam in qua dolore vexabatur, loco in quo corpus sanctum jacuerat, apposuit; et mox ab ipso dolore liberatur, deinceps dentium dolorem non sensit, sicut post viginti quinque annos idem referre curavit. Et ipso die in quodam oratorio, ubi memoria beati Remigii colitur, in pago Ribuario, duo contracti sanati fuerunt. Ex tempore quidem primæ ac secundæ translationis, sicuti et ante, multæ et insignes virtutes in eodem loco per ipsius sancti merita ex diversis infirmitatibus sunt operatæ. Quas quidem habemus descriptas, sed hic propter pluralitatem, et quia sæpius ibidem ostenduntur, omisimus ponere.

LXXIV. Quia ex digestis virtutibus abundantissime claret, quam insigni illum Dominus gloria et honore dignatus sit coronare, et ut erat in conspectu ejus, mirabilem hominibus demonstrare: de quibus, fratres charissimi, brevi epilogo quædam commemoremus: ut contemplemur, qualiter hic beatissimus patronus ac protector noster, sanctorum tam Veteris quam Novi Testamenti, Patrum spiritu, scilicet diversitate operationum, unius ejusdemque spiritus a diversis accepta, vivens in corpore plenus fuerit, et post obitum consors miraculis claruit. In eo namque quod cœlitus prænuntiatus, et ex nomine designatus exstitit, repræsentatos nobis Isaac patriarcham et Joannem Baptistam videmus (*Gen. xvii; Luc. 1*): in eo, quod sanctificatus necdum natus, et ab adolescentia in reclusionem populi devitavit præsentiam, item Jeremiam et Jeannem Baptistam (*Jer. 1; Luc. 1*): in eo, quod ab episcopis provincie Rhemensis et clero ac populo electus, et signis super eum divinitus ostensis, est ordinatus episcopus, Matthiam, qui ab apostolis, et cæteris fidelibus electus et oblatum Domino, divina est sorte ordinatus apostolus (*Act. 1*): in eo, quod inter amarissimos hujus sæculi fluctus, meritorum atque virtutum, orationum ac prædicationum remigio sanctam Ecclesiam ad portum æternæ lucis gubernavit, Noe, qui arcam præsignantem Ecclesiam, in diluvio erexit (*Gen. vii*): in eo, quod splendida facta est ejus facies de præsentia Christi, Moysen (*Exod. xxxiv*): in eo, quod inter flammam et residua, quæ necdum ignis voraverat, stetit, et incendium se transire prohibuit, Aaron (*Num. xvi*): in eo, quod rebus insensibilibus maledicens, cultores earum damnavit sterilitate, David (*II Reg. 1*) in eo, quod tria millia virorum, prædicatione sua conversorum, vigilia sancti Paschæ baptizavit, et puellam a morte resuscitavit, beatum Petrum qui in sancta Pentecostes totidem millia Judæorum ad fidem convertit, et baptizari fecit, et Dorcam a morte resuscitavit (*Act. ii et ix*): in eo, quod ferocissimos barbaros a feritate sua mitigavit et Rhemis ad baptizandum conclusit, quibus post sacrum baptismum panem cœli et spiritualem potum dedit, Eliseum, qui hostes venientes in Samaria

A conclusit, quibus cibum et potum dari præcepit (*IV Reg. vi*): in eo, quod parvissimos liquores superabundare fecit, Eliam et item Elisæum (*III Reg. xvii; IV Reg. iv*): in eo, quod regi Ludovico prædixit prophético spiritu quæ sibi suisque poteris erant ventura Isaiam, qui regi Ezechie quæ illi suisque erant futura prædixit (*IV Reg. xx*): in eo, quod longe positus corpore, præsens spiritu, obitum regis cognovit, itidem Eliseum, cujus cor præsens erat, quando Naaman in occursum Giezi de curru suo descendit (*IV Reg. v*): in eo, quod revelante sibi Spiritu sancto famem futuram prænoscentem, providentiam quomodo laboraturo fame populo subveniret adhibuit, Joseph (*Gen. xli*): in eo, quod ut justus justificaretur adhuc, corporalium lumen oculorum aliquandiu amisit, et postea visum recepit, Tobiam (*Tob. ii et xi*). Sed et quia vitis veræ palmæ fructum ferens, purgatus est, quo fructum plus afferret, cum oculorum mentis lumine, quod non amiserat, lumen corporalium oculorum, quod aliquandiu amiserat, in tentatione patiens, et laudes referens, post tentationem autem probatus, lumine corporalium oculorum recepto, ut in amissione Dominum benedixit, Job consideramus: qui patiens in tentatione, nomen Domini benedixit, et post tentationem probatus, duplicia sua possedit (*Job. ii et xlii*): in eo, quod die sui recessus cognito, per missarum celebrationem suis valefecit et obiit, beatum Joannem apostolum et evangelistam: in eo, quod palla sepulcri cladem inguinariam restrinxit ac repulit, egregium Paulum, cujus sudario ac semicinctiis sanabantur ægroti (*Act. xix*): in eo, quod zelo justitiæ et vivens in corpore, et post obitum in delinquentes vindictas exercuit, item Moysen, Phineen, Josue et Eliam, Petrum Simonis Magi, Ananiæ et Sapphiræ percussorem, et Paulum Elimæ magi excæcatorem: in eo, quod sanctissimum corpus ejus prius in designata nutu divino ecclesia sepultum, et postea angelico ministerio de loco ad locum est deportatum, Habacuc prophetam, qui manu angeli de Judæa super lacum Babylonis est deportatus, indeque in Judæam reductus (*Dan. xiv*): et Moysen qui a Domino, angelico utique ministerio, fuit sepultus: cujus sepulcrum sicut nemo usque in præsens novit, ita cujusmodi ordine sepulcrum istius sancti translatum fuerit, nemo cognoscit (*Deut. xxxiv*).

Versus inscripti sepulcro S. Remigii.

Hic famulus Hincmar Domini, sacra membra locavit
 Dulcis Remigii, ductus amore pio.
 Qui prius est sanctus, mundo quam matre creatus
 Et magnus dictus cœlitus ore Dei,
 Bis denos binosque gerens feliciter annos,
 Sorte Dei sumpsit pontificale decus.
 Sexaginta simul his septem manserat annis
 Istius urbis honor, præsul et orbis amor.
 Vitam defunctis reddens, quoque lumina cæcis
 Egerat et vivens plurima mira satis.

Nam domuit fera corda, animo pius, ore profusus. A
 Sicambrae gentis regia scepra sacrans.
 Nonaginta quidem sex cum complaverat annos,
 Solendida lux nostras deseruit tenebras.
 Idus jam plenas cum Janus mensis haberet,
 Emeritus miles praemia digna capit.
 Isdem Hincmarus prius hac in sede sacerdos
 Post triginta loco constitit et numero :
 Cui sextus decimus sub hac radiante lucerna
 Remigio Rhemis munia cara dedit.
 Annis septenis, quinis ac mensibus egit
 Pastoris curam, haec recolenda patrans.
 Octingenteno quinquagenoque secundo,
 Quo Deus est anno Virgine natus homo :
 Tertius et Carolus regni componeret actus,
 October primam cum daret atque diem,
 Ac tercentenus octavus tangeret annus.
 Hic justus Domini quo petit astra poli,
 Tercentum fuerant tres et deni quater anni,
 Quo vitae Francos gurgite lavit ovans.
 Ipsius is precibus caelesti in sede locetur,
 Quem terris coluit verus amator. Amen.

LXXV. Accidit autem postea, peccatorum meritis exigentibus, ut Dominicæ Incarnationis anno 882, Carlomanno regnante, praedicto domino Hincmaro archiepiscopo satagente, transferretur venerabile pignus corporis hujus sacratissimi Patris et domini nostri Remigii, propter infestationem paganorum, ad villam ipsius jam supra taxatam, nomine Sparnacum, quia civitas Rhemorum tunc temporis non habebat in ambitu sui murum. Cujus obtentu totius tunc pagi, ad quem delatum munus hoc habetur amantissimum, provisa probatur salus a pervasione barbarorum, vel incursu praedonum. Post Hincmari denique pontificis obitum, desiderabilis hic sacrorum thesaurus membrorum ad Orbacense perducitur monasterium. Hic quoque beatissimi hujus patroni nostri suffragiis omnis commoditas aeris circumquaque degentibus attribuitur incolis, cum insolita fertilitate telluris.

LXXVI. Post decessum vero saepe dicti praesulis Hincmari, cum pontificatus subiisset honorem Fulco, sui primo praesulatus anno referre decrevit alma beatissimi Patris nostri ossa. Quod ubi aggreditur, perveniente jam eo cum coepiscopis et cleri plurimis ad locum ubi pignus servabatur pretiosum, cum esset magna caeli serenitas, sed fervens admodum siccitas, subito se tantus effudit imber, ut totius hujus superficiem terrae videretur ubertim irrigasse. In crastinum vero, dum sacra referre promovent munera, cuncta clara, cuncta jucunda, cuncta mundanae speciei redduntur amœna. Prosperoque progressu, confluentibus undique populis, ad vicum deveniunt Calminiacum, in quo nonnulla Pater hic eximius, adhuc carne septus, virtutum dignoscitur exhibuisse magnalia. Hic membra veneranda in ecclesia deponentes ejus nomine dedicata, noctis quiete fessa levant corpora.

LXXVII. Post requiei subsidium, jam terras solis illustrante jubare, voces undique Deum benedicientium concrepant, atque laudantium, quod eis pastorem, patronum, ac protectorem redderet corporaliter proprium, quem semper apud divinam clementiam intercessorem, et assiduum se habere confidant advocatum. Praefatus interea praesul, caelestium sacramentis mysteriorum rite celebratis, imminentis juga cum laudibus scandit montis, comitantibus undique secus populorum stipatis catervis. Hic ubi pro populi delictis, et ira mitigationis caelestis ad Dominum fudisset orationem, paululumque processissent, adhuc clarificare Christus, mirificare, atque glorificare disponens hunc beatissimum Patrem nostrum in terris, quem magnificare cum angelis elegerat in caelis, quanti sit apud se meriti concurrenti propalare decernit multitudini.

LXXVIII. Accedit itaque mulier caeca, nomine Doda, manu sibi gressus regentis innixa : quae mox ut cominus appropinquaret, visum sibi restitui coram omnibus impetrat. Quod praesul audiens, hymnum laudis Dei cum populo, magno repletus gaudio, concelebrat. Necdum finierant odas exultatione caelum replentes, et ecce frustratus quidam multis gressu diebuscum integra procedit incolumitate laetabundus.

LXXIX. Transierecum laudibus inde paulisper : et mulier quaedam manuum potita sanitate succedit. Duplicant ergo, triplicantque comitantia gratiarum actiones agmina. Tremefacti proximi quique mirabilium magnitudine, tantisper a tanta deliberant secedere sanctitatis sublimitate. Nec vox reciproca laudantium defecerat ab ore, dum puer quidam, Grimoldus nomine, diu lumine privatus, os quoque miserabiliter a rectitudinis loco distortus, invisaeque deformitate turbatus, a parentibus obviam delatus, pristinum quem dudum amiserat visum est consecutus, et in propriam sanctissimi Patris hujus opitulatione mirabiliter est effigiem restitutus. Interjecto velut unius horae spatio, puer alius a contractione corporis ejusdem patroni suffragiis feliciter est erectus. Cohors igitur devota melodiis Davidica nequaquam sufficiens roboare carmina, maximo cordis affectu permota, inter laudem voces, eliciente gaudio lacrymis ora rigare profusis, et suspiria, singultusque formare pro canticis. Concurrentium quoque nimia stipatio plebium, sacri muneris gerulum deosculari gestientium loculum, importunitate valida vehementium cepit figere gressum. Mirorum siquidem, quae gerebantur, percrebrescebat opinio: certatimque tam sani, quam diversis calamitatibus attriti, properare studebant, cupientes intueri magnalia quae Dominus omnipotens in sancti sui clarificatione multiplicare proposuerat. Pro magno namque sibi damno sibi quisque reputabat, imo delictum deputabat, non modo si non proderet, verum si postremus accederet. Appropinquantem autem cives obviam, dum grata deferri cernunt munera, terra se prosternentes soli deosculantur terga. Suspicientesque, ubi contemplantur loculum pretiosae divini diadematis gemmae

hajulum, multas inter eximia gaudia lacrymas fundunt : obsecrantes ne amplius ejusdem Patris afflicti censeantur absentia ; quin perpetua mercantur gratulari presentia. Pater interea beatissimus filiorum devotioni præclaris favens nutibus, addit adhuc divinis plebem suam multipliciter exhilarare mirabilibus. Etenim dnm clerus cum sacerdotibus, psalmis, hymnis, et canticis intonant spiritualibus, populus etiam jubilationis immensæ reboat vocibus, ut mirabilem Deum in sanctis suis jucundioribus adhuc præconarentur animis, pristinam multitudo languentium sospitatem manifeste conspicitur recuperare, levatis pluribus varia peste corporibus. Adeoque per singula pene momenta, cœlestia pandebantur miracula, ut ad hæc locorum vel temporum vix enumeranda censi valerent interstitia.

LXXX. Tunc igitur Osanna quædam mulier, cum admiratione gaudentium, celeri meruit prosperitate recipere visum : et post pusillum claudus quidam felici munere consequitur gressum. Deodata quædam patefactis aurium januis adipiscitur auditum. Quidam nomine Teuto desiderabili politur illuminationis dono. Item quædam mulier eodem gavisa lætatur beneficio. Similiter Ansoldus quoque lumine, quod nimio flagrabat assequi desiderio, fido ceu credidit animo, Patris hujus piissimo perfruitur suffragio. Quidam Gerbertus paralysis est a dissolutione sanatus. Quidam quoque alius ejusdem muneris exultat hic largitate perfunctus.

LXXXI. Cumque certatim quique studio piæ devotionis obviam studerent occurrere, ac non modo benigni cordis intentionem ; quin etiam rerum temporalium exhibitionem, prout cuique facultas suppetebat afferrent, mulier quædam pauperula de civitate properans in occursum, manu cereum ferebat, qui accensus nunquam fuerat. Mirabile dictu, subito cœlitus nutu divino cereus in manu gerentis est illuminatus. Ipsum quoque dum per totam defert illa viam, Dei confitendo miraculum, nequaquam superni luminis amittit ille beneficium, donec mirifici pignora patris in stationis propriæ perferrentur domum, sicque a pontifice solemnia celebrarentur missarum. Tum femina cereum lumine flagrantem mirabili basilicæ tradit custodi, qui ob supernæ gratiæ quod contigerat gaudium, luminaria quæcunque per ecclesiam videbantur ardere mandat exstingui, lumineque divinitus hoc dato rursus accendi : hujus vero partem cerei cœlo dati miraculi decernit in testimonium reservari.

LXXXII. Rotgardis quædam femina de pago castrioci gradiendi carens officio pristinae gaudet cum incolunitatis dono : ut quæ plaustro devehente fuerat adducta, propriis postmodum pedibus remeare valeret ad sua. Præterea mulier quædam secum parvulam sex annorum fere defert filiam, nomine Wulfidem : quæ dum quadam die cum cœvis luderet, ab aliqua transeunte forte muliere percussa fuerat in capite. Quæ ictu læsa, ita ut ejus retro reflexum inhærere cervici videretur occipitium, nec in aliam caput re-

clinare partem valeret : cibi vero nullam sibi liquidam sumere sustentationem posset : quæ integrum sub tali ferme labore duxerat anni curriculum. Quam mater affectu diligens tenero, deque salutis ipsius sollicita recuperatione, studuit obviam deducere, dumque cominus ob densitatem multitudinis non valet accedere, procurat aliquantulum vulgus antecedere. Mox in via, per quam iter erat agendum, sese prosternens simul cum sobole, fulta valida fide, preces ad Deum devota dirigit mente. Necdum ab oratione cessarat, et ecce ipsius cœpit vociferari filia, quam genitrix, ut maternis consoletur blanditiis, surgens intuita, caput ejus ab inflexione videt ad propriam rectitudinis lineam remeasse. Tunc nimia hilaritate repleta, sed et de prolis sanitate confisa, perstrans vulneris locum, cernit sanguine madidum, nervosque diu contractos ac si funes extendi productos. Sic accepta misericordiæ quam quæsierat benedictione, domum læta cum gratiarum revertitur actione.

LXXXIII. Hac igitur dignitate clarificationis, et rerum gestarum admiratione cohors stipata, votoque gratulationis, arreptum toto fervoris iter annisu cum canticis hymnisque percurrere sat agebat. Præcesserat equidem præsul, sed reversus cleri comitantibus choris pretiosissimum propriis thesaurum somit humeris : et sic ad ipsius propriam beatissimi domum Patris cum magna perfert gloria jubilationis. Ast ubi pervenitur in ecclesiam, quæ competere visa sunt rite dispositis, inchoata jam victimæ spiritalis immolatione, mulier quædam de pago Trecassino membrorum omnium agitatione mulctata, veniens coram altari ruit in pavimento : ibique miserabiliter devexata, hujus piissimi consolatoris miseratione surgit incolumis effecta. Quæ super eventu tantæ consulta calamitatis, necem se propriæ confitetur perpetrasse matris. Missarum denique solemnibus ex inore peractis, sua quique repetunt reversuri mature in crastinum, ad hoc tutelæ suæ præsidium in civitatem perferendum. Mane jam facto, dum ad condictum studiose contenditur, Erluidis quædam mulier haud procul ab urbe degens, ad tantæ processionis spectaculum disponebat exire, quatenus optatæ sospitatis ubi mereretur munere, quæ quæ jam per quinquennium languore pressa partem corporis dextram præmortuam, peneque gestabat inutilem, nisu quo poterat accedere, et ad visendum sacri muneris hujus loculum sese molitur promoveri. Cumque tali conamine jam fere medium pergrasset itineris hujus spatium, non valens ultra procedere, grave corruit confecta labore. Meditatur domum redire ; sed nequit hoc ullatenus adimplere : quæ postquam hac aliquandiu nutans jacuit hæsitacione, demum resumpto moliminis ausu tentat an valcat adhuc aliquantulum propinquare. Moxque divina miserante clementia vigor ægris additur visibus : viribusque cum salubritate receptis, libera festinans celeritate, nimiaque tripudians hilaritate, quo decreverat ægrota se trahere, agili cœpit incessu gaudens appropere. Infirmittatis etiam suæ solamen

manuferens baculum, iter peragit destinatum: non ut ejus amplius egeret auxilio, sed ut id in hujus datae sibi sanitatis responderet testimonio. Perveniensque quo desideraverat, laudabunda devotas interventori suo rependit gratias. Hicque prolatum dimittens bacillum, priscæ calamitatis suæ solatium, alacris jam, nec opis hujus indiga, repetit iter emensum, referens læta quæsitum divinæ consolationis suffragium.

LXXXIV. Adveniens itaque pontifex cleri magnatumque stipatus agmine, victima salutis oblata, vestibus albis indutus, cum choris psallentium, gratissimum deducit ad mœnia civitatis thesaurum. Illis autem feliciter eo progredientibus, et grantanter ad destinatum locum tendentibus, omnipotens Deus in hujus charissimi sui glorificatione fontem suæ benignitatis ac largitatis abunde dignatus est effundere: ut vix lingua quælibet effari valeat, quæ hoc tunc itinere per ipsa pene momentanea gesta probantur horarum interstitia. Nam tantam Dominus hic operatus est hac die miraculorum magnitudinem: ut viri quatuor, feminæ vero novem visum, viri quoque duo gressum recipere mererentur. Cum hujus itaque præclare gratulationis admiratione in civitatem ad ecclesiam Dei Genitricis prosperrima pervenitur exultatione. Sicque lucerna hæc lucens et ardens æternaliter in altaris sistitur crepidine. Dum præsul igitur ad sacrandum vivifici munus accedit mysterii, quis tam ferreum pectus, tam lapideum cor gessit, qui non gemitus ederet, pectus tunderet, lacrymas funderet, dum tam stupenda divinorum dona charismatum conspiceret? Quis etenim queat enumerare mirorum copiam cœlitus hic ea die profusam? Nemo revera qui valeat expedire sermone, quot ægrotantes sanati, quot titubantes erecti, quot ipsa die diversis hic sunt cladibus absoluti.

LXXXV. Post expleta mysticorum discedentes sacra maturabant quippe repetere sua. Sed inter abscedendum minax oriri territatio: nubes teterrimæ, terribilesque consurgere, truculenta polum caligine claudere, micare fulgura, concrepare tonitrua, grandaque solum verberare cœpit non minima, quo terrore percussi redire plurimi, clementiam deprecantes Altissimi, quatenus hujus intercessione Patris beatissimi mererentur ab his imminentibus periculis erui. Mirum in modum perturbatio, quæ terrorem incusserat, immutari, nubium clarescere tenebrositas, cessare fulgura, mitigari tonitrua, cunctaque sedari cœpit ac dissipari tempestas, et ex truci conversa in exoptabilem pluviam grandine, telluris ubertim superficies, quæ nimio solis exusta fervebat ardore, perfusa secundo salubriter refoveretur humore. Sicque manifeste dignosci datur indignationis ad horam concitata permotio salutis immutata subsidio. Denique benignissimi Patris hujus solatio totius diræ pestis nostris videtur finibus eliminata corruptio: salubris aer, pluvia data congruens: timor etiam, qui regnum pervaserat,

hostilis in spem paulatim securitatis tranquillitate vertitur pacis.

LXXXVI. Hæc eadem præfata scilicet illationis sacri corporis in urbem die, tingui fervida jam solis oceano rota petente, quidam Nivulus nomine de villa quæ vocatur Dominica, Rhemorum montis in latere sita, surdus et mutus, manibus quoque per annos novem debilis, ac pedibus, qualicunque per totam diem valuit conamine, ab ipsius surgentis auroræ lumine, per quinque ferme passuum, repens millia, vix ad ipsius ædis sepulcri limina quasi decima tandem pervenit hora, qui dum veniens sacrum corpus ibidem non adesse comperisset, templique fores seris diligenter obfirmatis clausas perspiceret, cadens in faciem super terram, quadam præsumptionis importunitate, sanctitatis aures clandestino cœpit clamore pulsare, tam magno se conquerens labore fatigatum, nec sibi fore permissum videre saltem loculum sacri pignoris bajulum, qui tamen ejus sibi posse subvenire celsum nequaquam diffideret præsidium. Talia denique dum tacita secum volutat mente, salutis vigor ipsius per membra quoque sensim cœpit irrepere priscasque stupet simul omnium se vires sensuum recuperare. Cumque rumor operationis hujusce quibusdam nuntiantibus aures percelleret plurimorum, certatim quique procurrant, admiranda Dei magnalia lætantes aspiciunt, ovanter hominem ad locum venerandi sepulcri perducunt, campanas pulsan, lætabundis Deo laudes vocibus intonant. Hujus miraculi permoti fama quamplurimi, domum petunt ecclesiæ, videre cupientes magnalia Dei, videntes ut audierant divinarum signa virtutum, manibus grantanter in cœlum porrectis benedicunt Dominum. Quod divæ benignitatis miraculum valde tunc profuisse dignoscitur ad eorum solatium, qui se corporaliter deserui tanto querebantur patrono; quibus tamen specialiter se non deesse, tali pietatis patratæ declaravit indicio.

LXXXVII. In ecclesia quoque beatæ Dei Genitricis, ubi venerabile Patris hujus servabatur pignus, nonnulli diversi ægroti sunt interim curati languoribus. Nam quidam nomine Natalis de Burdenaco, mulier etiam dicta Teutberga, item mulier altera nomine Guntildis, hujus patrocínio Patris visum recipere meruerunt, alia quædam quoque mulier unius oculi visum in eadem domo recuperavit amissum. Quædam præterea puella cognomine Florgildis, ex villa quæ vocatur Caucella secus Libram rivulum sita, quatuor circiter ætatis annos gerens, lubricando prolapsa utrumque sibi genu debilitaverat: ita clauda facta, ut omnino nec gressum figere, nec pedibus valeret insistere; quam parentes ejus, quamvis pauperes, de sospitate tamen ipsius solliciti, per diversas deferre sanctorum curaverunt ecclesias. Ast ubi jam per duodecim fere annorum spatium tali vexaretur languoris acerbitate, nec remedium doloris posset invenire; comperiens de relatione sacri corporis, operumque

miraculis, quo valuit nisu repere cœpit; nec se carpento permittit imponi, sed tractu prout valet illud agere gestit iter. Ad templum vero perveniens, quo pretiosum salutis audierat munus inesse, fuis Domini clementiam votis pro sui flagitat liberatione, sed et propriis fertur pavimenta lacrymis humectasse. Quæ postquam per tres ita dies egisset, dum denuo precibus incumberet, divina sibi gratia superveniente, vim medicinæ vix valens ferre, magnis cœpit vocibus strepere, et ejulatus acerbos edere; sicque nodis nervorum resolutis, omniumque poplitum contractione relaxata, unius horæ ferme spatio, viribus exhausta jacuit quasi mortua. Sed qui contulit absolutionis opem, roboris addidit quoque vigorem. Moxque ceu de gravi evigilans somno ubi supernum sibi sentit obvenisse beneficium, pignoris alma petit loculum, cujus gratia sibi contigisse non hæsitabat remedium. Dehinc gratias hic agens, ibidemque degere gratificata decernens, et precibus crebris insistens, debitas medicatori suo celebrat excubias, ac salutaris quotidie libaminis offert oblationes.

LXXXVIII. Fuit autem Rhemis in præfata Dei Genitricis ecclesia corpus illud sacratissimum beatissimi patroni nostri Remigii, dum præmemoratus antistes dominus Fulco præsulatus fungitur officio, scilicet

A usque ad episcopatum venerabilis Herivei archiepiscopi, qui cessante Normannorum persecutione, per solam Dei clementiam pace recuperata, munus idem supernum propriæ sepulturæ ipsius referre decrevit intra mœnia: quod dum convocatis quibusdam regni proceribus agere maturaret, accumulare dominus ejus non distulit clarificationem suorum repetentis ossium sedem. Contigit enim, dum magna populi confluentis stiparetur caterva postquam sunt urbe egressi, quidam claudus et ariditate nervorum poplitumque contractus, Abraham nomine, qui scabellulis hærens per terram se tantummodo trahebat, ut poterat, ubi secus urbem veniens iter ad sancti basilicam inchoasset intendere, divina tactus potentia, compagum duritia resoluta, cœpit ad salutis extendi remedia. Quem sospitate recepta pluribus vidimus annis incolumem erectum, gradientem, collataque sibi prosperitate gaudentem. In eo vero loco, ubi hoc salutis accidit donum, posita deinceps exstat columna, cruce præfixa glorificationis hujus continens monumenta. Sed et tam prius creberrime, quam postea, clarissimis sæpe multiplicibusque miraculis ejus sepulcri decoratur ecclesia, quæ nequaquam litteris habentur comprehensa: sunt namque multimoda.

XXII.

ENCOMIUM EJUSDEM SANCTI REMIGII

PER HINCARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM,

(Apud Surium, ibid.)

I. Videamus etiam quomodo hic beatus Pater et pastor noster benedictionibus sibi a legislatore Deo datis, ipsius auxilio in sæculi hujus convalle lacrymarum ascensiones in corde suo disposuit, et de virtute in virtutem gratia Dei proventus excrevit, usquequo eum, quem semper desideravit spiritu, facie ad faciem videre promeruit. Idem namque Dominus in Evangelio dicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (Joan. xiv). Quod quasi exponens Apostolus dicit: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum* (I Cor. iii). Quia in illa æternæ beatitudinis vita non dispari, unusquisque juxta dispar meritum locum disparem percipit. Sed ejusdem disparilitatis damna non sentit, quia tantum sibi, quantum perceperit, sufficit. Et catholica doctrina didicimus, quia distinctæ conversationes hominum singulorum, agminum cœlestium ordinibus congruunt, et in eorum sortem per conversationis similitudinem deputantur.

II. Nam sunt plerique, qui parva capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie annuntiare fratribus non

desistunt. Isti itaque in angelorum numerum currunt. Et beatus Remigius, licet multiplex scientia Dei dono in eo esset, ut fidelis servus et prudens, conservis suis in tempore mensuram tritici, id est pro captu audientium, ministravit (Luc. xii): et secutus Apostolum, prius barbaris lac potum dedit, non escam (I Cor. iii). Et teste Malachia, quia sacerdos angelus Domini est (Mal. ii): unde et sanctus Remigius sacerdos magus angelorum consortium meruit.

III. Et sunt nonnulli, qui divinæ largitatis munere referti sacramentorum cœlestium summa et capere prævalent, et nuntiare. Quo ergo isti, nisi inter archangelorum numerum deputantur? Et beatus Remigius sapientiam loquens inter perfectos, quando male sentientem hæreticum de vero Dei Filio in synodo catholicorum episcoporum convertit, in archangelorum numero meruit deputari.

IV. Et sunt nonnulli qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quo igitur isti, nisi ad supernarum virtutum et numerum et sortem congruunt? Et beatus Remigius, et in corpore positus, et post obitum, ut supra ostendimus, mira fecit, signa valenter operatus